

Le texte à la source de cette édition est celui publié, en 1621, à Leyde, par Isaac Elzevir.

DE CONTEMPTU MORTIS.

AD NOBILISSIMUM AMPLISSIMUMQUE VIRUM JANUM RUTGERSIUM.

DE CONTEMPTU MORTIS LIBER I.

C_1 v.1 Et fati, nostrique, canam. Tu virgine natus,
 2 et vitae Rex ipse, fave. Tu, maxime, vati
 3 auxilium, tu finis eris. Tibi nostra carina
 4 sistat inoffensum supremo in litore cursum.
 5 Namque tibi Graiorum omnis sapientia servit,
 6 et Musae quaecumque tibi famulantur, et omnis,
 7 ut semel exorta est tua lux animoque refulsit,
 8 interit extemplo, longeque avertitur, error.
 9 Nec minus et nobis, Rutgersi, in limine primo
 10 advenias, auresque adhibe. Seu munera nostra
 11 jam tangis, floresque legunt tibi mille, Camenae,
 12 ut nuper, variasque legunt cum floribus herbas.
 13 Codanum seu jam superas mare. Seu tua Mavors
 14 regius, extremum patriae conversus ad axem,
 15 otia tota tenet, debellatorque trionum,
 16 jam triplici effulgens auro formaque decorus,
 17 districtum, nullaque tibi jam parte vacantem,
 18 possidet, et Moscho sperata e frigore laurus ;
 19 quicquid id est, quocumque agitas in litore curam,
 20 hic mecum ignavi paulum obliviscere leti,
 21 et foedum indignumque viris dimitte timorem.
 22 Ipse tibi, qua Mosa pater, pulcherrimus errat,

23 et Lingam Vahalimque uno complectitur amni,
 24 arboribus cinctam, et fecundo gramine, ripam,
 25 dispiciam, vento expertem, Phoeboque furente.
 26 Hicte Cecropides Musae, et mea maxima cura,
 27 magnus Aristocles jam nunc exspectat, et aurae
 28 indigenae, viridesque parant occurrere Nymphae,
 29 extremo Borea redeunti, et finibus Arcti.
 30 Principio pueris namque hinc exordia prima
 31 ducere praecipio cum sensim intendere mentem
 32 coeperit, et vocem moliri infirmior aetas,
 33 custodem junge assiduum, vitaeque magistrum,
 34 qui vitiorum odia, ac cultum virtutis honestae,
 35 et dulcem sensim discendi instillet amorem.
 36 Illum adeo, neque foeda Venus, neque Massicus humor,
 37 afflarit resides animos, et inertia corda,
 38 ne furtim incautus contagia ducat alumnus,
 39 ingentisque animi pulchro desuescat amori.
 40 Illum autem primis mirari discat ab annis
 41 protinus : illius primos ab origine fontes,
 42 mente adeat secum, divinaque semina lustret ;
 43 ut quondam omnipotens genitor, postquam humida regna,
 44 et terram, et vigiles caeli suspenderat orbes,
 45 unum inspirarit, totiesque inspiret ab alto,
 46 in lucem quoties venturus concipit infans
 47 aetherium motum, et jucundae exordia vitae ;
 48 omniaque ex ipso jam tum deducat Olympo.
 49 Nec de corporibus fluat, et post corpora restet,
 50 non mixtus, non compositus, purissimus in se.
 51 Non undae pars aut flammae, non simplicis aurae,
 52 non terrae. Quamquam omniparens, quamquam omnibus altrix,
 53 quamquam tot facies animantum uberrima gignit,
 54 omnibus et dulcem pariter respondet amorem.
 55 Quamvis et Cererem, quamvis et munera Bacchi
 56 didit, et arboribus gelidaque exuberat unda,
 57 ut ventura simul transactaque saecula volvat,
 58 et rerum eventus dubios, formasque, locosque ;
 59 tum mille egregias paulatim excuderit artes
 60 usibus humanis ; cum vita informis et excors,
 61 volveret in solis ignavum montibus aevum.
 62 Quod neque flamma potest, nec humus, nec mobilis unda,
 63 nec purus mixtusve aer. Nec si quid ab illis
 64 aut partem trahit, aut vires deducit inertes.
 65 Ergo, non stellarum orbes, non lucidus aether,
 66 nec Lunae albentes radii, aut Titanus orbis,
 67 quamquam igni illustris formoso ac cornibus aures,
 68 et picturatum toties decurrit Olympum,
 69 quantum animus possunt. Nec se illi aut sedula tellus
 70 audeat, aut vasti facies componere ponti.
 71 Nec vero immensus quamquam in se vertitur orbis
 72 aetheris aurati, terramque amplectitur omnem,
 73 quamquam tot populos urbisque ingentibus ulnis
 74 continet, includit meditantem assurgere, supra
 75 caelum omne, et proprium naturae accedere fontem,
 76 aeternum caeli regem, vitaeque parentem.
 77 Praecipue, quoties altae penetralia mentis
 78 reclusit, quoties in se divertitur ipse,

135 fixus et attonito similis, dulcique furore
 136 suetus humum fugere, et mortales linquere curas ;
 137 praecipue, venturum olim praevertere secum,
 138 molirique animo, et paulatim addiscere letum ;
 139 mentem abducendo rebus, corpusque premendo
 140 ingenti imperio. Dum sensus sub juga victor
 141 mitteret, atque omnem rationis subderet hostem.
 142 Totam illum perhibent hiberno sidere lucem,
 143 et gelidam hiberno medioque sub aere noctem,
 144 duxisse, immemorem juxta vitaeque necisque,
 145 et libare dapes, et inertes ducere somnos,
 146 dulcibus affixum curis, animoque fruentem.
 147 Ac neque praecipitem pluviam, caeloque ruentem,
 148 nec super excussa crepitantem grandine nimbum,
 149 nec Boreae horrorem immitis sensisse nec Austri :
 150 usque adeo cunctos requierat pectore sensus.
 151 Ipse autem, membris, et inani parte relictis
 152 corporis, ignarusque sui, super ardua tecta
 153 caelicolum errabat, celsoque instabat amori,
 154 devius, et pulchri divino percitus igni.
 155 Cujus ab objectu, radios, et pontus et aer
 156 concipit, et lato quae pendet in aere tellus.
 157 Candenti quales per noctem absistere ferro
 158 cernimus, et crebram tenebris aspergere lucem.
 159 Hinc pulchrae in terris facies, campique virentes,
 160 hinc fontes, nemorumque oculis gratissimus horror ;
 161 hinc pecudes, formaeque avium, vitaeque natantes,
 162 exiles utcumque sibi deducere partes.
 163 Haec idem, gelidam formosi ad fluminis undam,
 164 sub noto platani hospitio, projectus in herba,
 165 cantabat : multum verba inter singula mulcens,
 166 caesariem Phaedri liquidam, atque argentea colla.
 167 Hactenus, ut foedis populum Pandione natum,
 168 ignibus arceret, mentemque ab imagine pulchra
 169 duceret ad fontem, cujus licet aethere ab alto
 170 tot rivi in terram, et species, et nomina manant,
 171 ipsum haeret, fixumque manet, neque cedit Olympo :
 172 et longe attonitam trahit ad spectacula mentem.
 173 Sic cum purpureus radios per tecta domorum,
 174 aut nemore in magno, per opacas arboris umbras,
 175 sol jacit. Ipse ingens ingenti corpore, nusquam
 176 vel caelo egreditur, vel nostro intervenit orbi.
 177 At laetis ea signa oculis cum luce viator
 178 intuitus, surgitque animo, totumque repente
 179 cogitat absentem : quantus, cum mane recenti
 180 attollens caput Oceani rutilantibus undis
 181 fertur in occasum, vel cum sua signa recenset,
 182 et magnum caelo ingrediens convertitur annum.
 183 Idem ubicumque dabat latebram nemus, aut specus atrum,
 184 aut late diffusa comis errantibus arbor,
 185 omnia divinis loca vocibus, omnia dulci
 186 implebat monitu, et caelestis murmure linguae.
 187 Qualis pampinea pendens e fronde cicada,
 188 solamen senis agricolae, rurisque voluptas.
 189 Curae illi virides rami : totumque per aestum,
 190 rore madens parvo, parvosque amplexa penates

191 pura inter laetum deducit gaudia carmen.
 192 Haec idem moriens, dulcesque amplexus amicos,
 193 singultus inter medios abitumque canebat ;
 194 haud aliter summo digressus limine et aevi
 195 finibus, ac si lento olim confectus amore,
 196 nequicquam lento patriae confectus amore,
 197 post longas hiemes, et taedia mille laborum,
 198 linqueret exilium : parvos tum denique natos
 199 visurus, sanctamque domum, notumque cubile.
 200 Nec secus educens gelidae medicata cicutae
 201 pocula, quam si vere novo cum pingitur annus,
 202 et lux Cecropidis, Baccho gratissima, venit,
 203 Flore comam multo, et frondenti vinctus anetho,
 204 nectaris in mensa latices libaret, et ultro
 205 rorantem pateram sublato educeret auro.
 206 Illum ergo patriae frustra flevistis Athenae,
 207 illum Nymphae omnes, illum Nereides omnes
 208 extinctum flevere ; illum Tritonia virgo,
 209 Actaeos inter colles, desertaque Thesei
 210 litora. Nec questu assiduo cessavit Hymettos.
 211 Illius quamquam volucres, quamquam omnia mella
 212 vicisset moriens suppressae flumine linguae.
 213 Te furiis, saevisque odiis moriente tuorum,
 214 Phaenaretae puer, albentes ter rupit amictus,
 215 ter laniata comas, terris discedere visa est
 216 infelix Sophie : ter euntem maxima Pallas
 217 obvia detinuit. Tandemque in pectore nati
 218 haesit Aristonidae, gentique insedit iniquae.
 219 Hos igitur ductus atque haec exempla premendo,
 220 prima quidem pulchro pandetur semita leto,
 221 et recta e terris dabitur via ; si neque rebus
 222 haereat, aut curas in se traducat inertes
 223 semotus fixusque animus, neque cedat amori,
 224 luminibus qui sponte sua gratissimus usque
 225 insinuat, naresque aliquo contingit odore,
 226 aut tactu mille insidias molitur et ori,
 227 aut captas totidem insidiis circumvenit aures.
 228 Quippe hinc, principio non intellecta voluptas
 229 nascitur, et lenes intentat pectore motus
 230 Illa quidem primo, multaue intervenit arte.
 231 Mox autem, et sceptro patrio, pulchraque tiara
 232 exuit, et formas paulatim vertit in omnes
 233 palantem, et magnis nequicquam ardoribus actum.
 234 Exilium quamvis saepe indignatur, et aethram
 235 suspicit infelix, et quem dimisit Olympum
 236 fixus humi, multaue inter caligine saeptus.
 237 Scilicet ignavos deludunt plurima sensus,
 238 perque vias quinque ingenii mentisque ministras,
 239 obscurus vitio, morbove illabatur error,
 240 aut spatium. Nam sponte sua concurrere menti,
 241 ut magno inter se devincti foedere reges,
 242 festinant oculi, nec mens aversa tuetur,
 243 imperio postquam est dejecta et culmine veri,
 244 fallentes : gaudetque adeo, deceptaque turbam
 245 decipit, et densam diffundit plurima noctem
 246 in populos, nullamque fidem non invenit usquam.

247 Nonne vides, ut saepe alios mentita colores
 248 aera per liquidum formosa expanditur Iris,
 249 sole sub adverso, radiisque obliqua refulget ?
 250 Hoc sine nil magnum fieri et memorabile jactant
 251 attoniti vates, oculisque auctoribus usi,
 252 paulatim blandis suadentes omnia dictis.
 253 Nam modo praecipitem caelo Saturnia mittit,
 254 audacem ad Turnum : nunc torvum affatur Achillem,
 255 inspiratque animos, et saevas sufficit iras.
 256 Illa quidem nusquam est. Quippe igni illustris et auro,
 257 fulgentes radios, multoque ardore trementes,
 258 nubibus impingens mediis Phoebieus orbis,
 259 decipit incautos adverso lumine visus.
 260 Sic oculis pulchrum mirati currere Solem,
 261 e terris, dixere Deum : Lunamque per aras,
 262 supplicibus votis, et falso farre piarunt.
 263 Nec visu tamen ulla magis cui credere possis,
 264 discendi ratio est ; cum saepe et lumina fallant,
 265 seu facie decepta loci, sive aeris ictu,
 266 et magis incertos frustrentur cetera sensus.
 267 Hinc amor, hinc pestes animorum ; hinc credula semper
 268 spes, hinc relligio fallax, vanusque deorum
 269 error, agens nubem immensam, populosque per omnes
 270 Europae, lapsusque Asiae, qua maxima Roma,
 271 victrices Aquilas immenso praetulit orbi.
 272 Hinc metus ille acer, primoque in limine leti
 273 haud raro exhaustis incumbens viribus horror.
 274 Quem ni docta parens, arcani conscia veri,
 275 dum molles animi, dum sponte inflectitur aetas,
 276 evertat ratio, mox ipsa invita recedit,
 277 et victo haud laetos avertit pectore vultus.
 278 Nil igitur credendum oculis. Mens sola tuetur,
 279 nec fallit ; mens sola audit, neque decipit umquam.
 280 Quin etiam pulchro conatu avertit, et usu
 281 vitali, aeterno libatam numine mentem,
 282 quicquid agit sensus, sensuque illabitur acto.
 283 Nonne vides, quoties nox circumfunditur atra
 284 immensi terga Oceani terramque polumque,
 285 cum rerum obduxit species obnubilus aer,
 286 nec fragor impulsas aut vox allabitur aures,
 287 ut nullo intuitu mens jam defixa, recedit
 288 in sese, et vires intra se colligit omnes ?
 289 Ut magno hospitio potitur, seque excipit ipsa
 290 totam intus : ceu jussa Deum discumbere mensis.
 291 Nam neque sic illam solido de marmore tecta,
 292 nec cum porticibus capiunt laquearia centum
 293 aurea, tot distincta locis, tot regibus apta,
 294 quaesitaeque epulae, Tyrioque instructus ab ostro ;
 295 ut gaudet sibi juncta, sibique intenditur ipsa,
 296 ipsa sibi tota incumbens, totamque pererrans,
 297 immensa, immensam spatio, longeque patentem.
 298 Seu dulces inter latebras Heliconis amoeni,
 299 et numquam arentem nemorum divertitur umbram,
 300 fecundum pleno exercens sub pectore numen ;
 301 seu magno forte in populo dicturus, inertes
 302 explorat voces, et verba decentia pectit,

303 cuncta animo saepe explorans, cuncta ante pererrans,
304 quam linguae temere officio committit, et oris.
305 Seu causas rerum occultas et semina volvit,
306 et queis foederibus conspiret maximus aether,
307 Neptunusque pater, tellusque, atque omnia gignant ;
308 siccaque concurrant liquidis, frigentibus ignea,
309 quae numquam passa interitum volvuntur eodem
310 ex aliis : eademque manent, mutataque surgunt.
311 Sive altum virtutis iter subducit, et almas
312 molitur leges, queis fortunata juvenus
313 pareat, ac pace imperium tutetur et armis.
314 Nam neque tum primi comites surgentis Eoi,
315 sub ramis volucres incendunt aera cantu,
316 latratusve canum, fremitusve auditur equorum.
317 Quippe tacet nemus omne, tacent urbesque feraeque.
318 Sed neque tum pictis gemmantes floribus horti,
319 nec liquidi fontes, nec saxa virentia musco,
320 nec caeli apparent aulaea, et splendidus ordo
321 astrorum, volucresque vagae, faciesque ferarum,
322 nec magno Oceani diffusum gurgite corpus,
323 ceteraque inter se innumeris distantia formis.
324 Namque et humus spatiosa, suos induta colores,
325 quos Phaethontis equi illustrant caligine pulsa,
326 cum lucem infundunt rebus, jam nocte peracta,
327 circum oculis mille illecebris, et mille figuris,
328 blanditur, passimque aciem traducit ovantem ;
329 multaque per noctem, quoties Latonia vultum
330 exerit, et totum subduxit nubibus orbem,
331 objicit attonitis, incorruptissimus aether,
332 lumina quae rapiunt oculorum, ea concita porro
333 illiciunt mentem, ne qua consistere possit,
334 et vitae assiduum nectunt mortalis amorem.
335 At neque virtutem, neque si quid corpore toto
336 pulchrius est, oculorum acie lustramus, ut artes,
337 quaeque tenet primas vitae Sapientia ; caeli
338 inconcussum, ingens, et non mutabile donum,
339 nec pulchrum, pulchrique apicem, cui nascimur omnes.
340 Adde, quod in sese rapitur mens sola, Deumque
341 fertur in auctorem, sursumque attollitur ultro,
342 quamquam aliena loco, propriisque ex sedibus acta,
343 ut gravis incerto si sidat in aere tellus,
344 aut levis incumbat terrae penetralibus ignis.
345 Huc autem, in sese revocata, a corpore toto,
346 omnibus et rebus, tandem ut seclusa feratur,
347 proximus huic labor et vincendi janua leti est.
348 Nonne vides, ut terra sibi festinat et aer
349 conjungi, flammaeque leves, et mobilis humor ?
350 Non aliter primae mens nostra accedere menti
351 ardet, et ex ipsa rapitur caligine sursum,
352 vulcano assimilis : subito seu forte coortus
353 urbibus in mediis, sive illum incautus arator
354 sparsit, et undanti nequicquam occurrit, in altum
355 sponte sua rapitur, nubesque et sidera lambit.
356 Jam quoque sponte sua, flammaeque assurgeret instar,
357 intendentis iter sursum, flammamque petentis,
358 ni gelida et caelo premeret contraria moles.

359 Quae prius hicsubigenda diu, multumque domanda est,
 360 non rastris, durisve ligonibus, aut bove juncto
 361 multum invertendo. Sed enim vi mentis et usu
 362 expugnanda prius tardae contagia matris,
 363 et luxus elementa, modis haerentia miris.
 364 Nec magis agricolam suadebo intendere messi,
 365 ne sterilis vires impune assumat avena,
 366 aut infelices dominantur frugibus herbae :
 367 quam male fecundas vitiorum incidere fibras
 368 pectore, quam totas errorum exurere silvas,
 369 si quem cura manet divinae incumbere menti.
 370 Ut domita tandem tellure, exurgat in altum
 371 ignis, et occultae purgentur semina flammae ;
 372 nec depressa solo maneant, cum postulat usus,
 373 lustratas animas aeternis jungere rebus.
 374 Nec tibi sit victus ratio postrema, sed acres
 375 desidiae stimulos modicis avertere mensis,
 376 et quas Naturae sponte indulgentia donat.
 377 Si non appositas incurvant pondere lances
 378 viscera tosta boum, volucremque incognita mittit
 379 Phasis, et extremo quae pascit in aequore Nereus.
 380 At virides adsunt herbae, telluris alumnae,
 381 lactucae, malvaeque leves, cenaeque deorum,
 382 innocuae caules, lapathumque, acceptaque ventri
 383 intuba, nec crassum mox inductura soporem,
 384 et quae Palladia carpuntur ab arbore dona ;
 385 uvaque pampinea paulatim educta sub umbra,
 386 seu nova, seu veteres expressa est arida succos,
 387 aut malum irriguum, aut prunorum cereus ordo.
 388 At Cererem non celat humus, nec deficit umquam,
 389 exiguus, natusque sitim restinguere rivus.
 390 Has epulas mensasque olim posuere Cleanthes,
 391 Carneadesque pater. Spectabant sidera magnos
 392 artifices veri, deserta in valle sedentes,
 393 et totus dabat adspectum cenantibus aether.
 394 Obducunt animum distentae sanguine vires,
 395 ne caelo attollat faciem, sed mollis, et excors,
 396 in Venerem ruat, et foedos suspiret amores ;
 397 nec magnum leti contemptum in pectore versat
 398 uvidus assidue, multoque oppressus Iaccho,
 399 oblimatque aciem versae ad sublimia mentis.
 400 Contra autem, quoties in se tenuissima fertur,
 401 de rebus quamquam exiguis, ceu numine tacta,
 402 jam felix, jam plena sui, defixa moratur.
 403 Votorum ut penitus, penitusque oblita laborum,
 404 non nocti, non Phoebe tibi, discedere victa
 405 gestiat, aut alias meditetur volvere curas.
 406 At magis, immotae quoties jam dedita formae
 407 haeret, et aeternae ; mundi praevecta quod usquam est,
 408 et rerum quascumque tenet vastissima moles.
 409 Quae licet immensos aperit qua cernitur artus
 410 undique, tot membra ostentat, quot terra polusque
 411 explicat ante oculos ; tamen, et compagibus iisdem,
 412 iisdem principiis, atque ortu surgit eodem.
 413 At supra, rerum genitor sedet, omnibus expers
 414 seminibus, menti occurrens, supraque locatam,

415 sublimem hunc aequo suspensum examine circum,
416 ultima quem proni definit linea mundi,
417 supra materiem leti, supra omne, quod usquam
418 carpitur, et primum vitales exit in auras,
419 natali luce involvens. Ea prima voluptas,
420 hoc vitae auspiciū venturae fata dederunt,
421 hoc pignus pater omnipotens, hoc denique leti
422 dulce rudimentum : mens ut lustrata, suique
423 assueta imperio, naturae juncta quiescat
424 aeternae fixaeque, Deumque intelligat una ;
425 jam pulchri patiens, quantum fas corpore junctam,
426 ignavosque habitantem artus, terrenaque membra.
427 Illum autem, nostris iterum sejungere rebus
428 convenit. Haec via prima datur, qua discere numen
429 incipiunt animi, primaeque occurrere menti.
430 Ut si corporeum, et nigrae concedere morti,
431 aut genitum factumve neges : quae singula nobis
432 conveniunt, nescitque Deus. Sic surgere primum
433 aude hospes, limenque aperi flammantis Olympi.
434 Quin etiam, immensus veluti atque illustris amictus,
435 quem mille artifices vultus ac mille figurae
436 undique circumeunt, et lato circulus auro,
437 deducenda tibi, tellusque, et pontus, et aethra ;
438 corpora nunc oculis quaqua obversantia nostris ;
439 ut magnum invenias ac non mutabile numen.
440 Huc ubi pervenit nostrarum maxima rerum,
441 crescit, et ulterius, seu per vestigia, tendit :
442 jamque illi omnipotens, posito velamine, circum
443 apparet. Videt aeternum, immensumque tuetur,
444 Oceanum vitae ingentem formasque caducas
445 eluctata, vagas semper, semperque natantes :
446 ut cum Carpathio, aut Ionio in magno,
447 volvitur, et ventis et fluctibus obvia pinus.
448 Atque ea ne certo nequeas deprendere, neu te
449 tristis, et infelix, nequicquam exerceat error,
450 utque animo penetrare acri magis ardua possis,
451 ipse Deus toto manifestus numine terras
452 intravit ; pulchri effigies totius, et omnes
453 detulit ignaris aditusque expressit Olympi.
454 Hinc trinum, non nota prius, miramur in uno,
455 et semper geniti damnatam sanguine mortem.
456 Quippe adeo pater omnipotens, lex ultima rerum,
457 deflectens in se assiduo, seque ipse volutans
458 purum intus, letique omni contage remotum,
459 concepit, fuditque suo de numine numen,
460 mens totus, mentemque suam, totumque quod ipse est.
461 Cujus in amplexu, dum se, pariterque quod usquam est,
462 aspicit, et nati fecundum exercet amorem,
463 omnia produxit, vastumque effinxit in orbem,
464 sublimesque animas ignavos fudit in artus.
465 Hinc lucem dulcemque diem libamus, et auras
466 ducimus aetherias, magnaеque exordia vitae,
467 cujus in excelsa defixit semina mente.
468 Quae, velut attritu silicum, cum flamma repente
469 dissilit, ingentes, in se decurrere jussa,
470 concipit et radios, et magnos concipit ignes.

471 Quos fama in gremio positos, Dea laeta per auras
472 abripit in populos, serosque amplexa per annos
473 posteritas tenet, et leti secura vetustas.
474 Nam sacer aeternusque, nihil contingere majus
475 in terris animus, caelo demissus ab alto,
476 se potuit. Non si pulchro se involvere Phoebō
477 tendat, et astrorum mediis immittere formis.
478 Nec natum Clymene, summo licet aequore caeli
479 flecteret alipedes, patriosque accenderet ignes,
480 altius excessisse homines terramque putandum est.
481 Quam cum seposito diversae a corpore mentes,
482 admisere Deum. Quam cum, formosus Aristo
483 quem genuit, jam magna canens, nec cognita vulgo,
484 aspicit alato genitorem incedere curru,
485 caelicolum : quem tota acies comitata deorum,
486 viginti circum ordinibus diducta, cohortem
487 explicat, et magnos in se convertitur orbes.
488 Hoc opus, illustres animae, dum corpore clausae
489 degitis, exercete. Hoc jam considite portu ;
490 huc versam pelago e medio subducite puppim ;
491 hicsupra populorum undas, et inertia vota,
492 et regum solia, et dominorum assuescite sceptrā,
493 ire viam, terrae ignotam, et mortalibus aegris.
494 Primus ego, magna ingrediens sacraria vates,
495 arboribus clausa, et circum obnubentibus umbris,
496 Aoniam qua nulla notant vestigia rupem,
497 institutam lustrare animos rationis egentes,
498 et secum exortam caelo secedere mentem,
499 praecipiam, licet in media tellure vagantem.
500 Atque hicdepictae facies in limine primo
501 astabunt, fractis immanes cornibus amnes,
502 Cocytus, tristisque ardor Phlegethontis avari,
503 et Leti tremor, et nigri vis pallida Leti.
504 Tum pulchri quaecumque animos sub nomine ducunt
505 intexam, dum vita manet, dum corpus inane
506 volvimus, et primo ignari deflectimus ortu ;
507 clari ingens operis, vixque enarrabile textum.
508 Principio, quicumque poli venere sub auras ;
509 sponte sua, sive hoc ratio dedit incluta ; pulchri
510 sublustres radios mortali in corpore versant,
511 vestigantque alte, et magno rimantur amore.
512 Namque alii lato suspensam hanc aspice caelo
513 congeriem verrunt abiegnis marmora palmis,
514 aut freta decurrunt gelidis exercita nimbis,
515 et versas alio convectant litore merces.
516 Effodere alii venas et viscera matris,
517 ditem usque, atque Acheronta atrum, noctisque recessus.
518 Tantus amor terrae, tantumque ab origine prima
519 deficient. Mavortem alii letumque lacessunt,
520 ut patriae ingentem referant cum laude triumphum,
521 atque hos, magnanimi fasces, et eburneus axis,
522 ereptos populo, trahit ad fastigia rerum.
523 Educunt natos alii, parvosque nepotes,
524 venturam generi seriem, et solacia leto.
525 Occupat interea non observata senectus
526 errantes animas, versasque ad cetera mentes,

527 nec pulchri memores, nec soli incumbere vero.
528 Mors autem, longe absentes, longeque vagantes,
529 interea dum vota calent, dum ducitur aetas,
530 antevenit. Qualis celsa sub rupe columbam,
531 illa quidem natos dulcesque revisere nidos
532 deproperat, gratamve suis circumspicit escam,
533 venator subito accipiter deprendit, et atris
534 unguibus impediit, spesque interceptit inanes.
535 Illa autem, secura prius, neque conscia leti,
536 vitam interceptam media sub nube relinquit.
537 Haud aliter mors saepe manum volventibus ardua
538 injicit in medio, primaque in sede reponit
539 errantem, et caeco luctantem in carcere mentem.
540 Cujus opus, non argenti fulgentis, et auri
541 caelati infectique ardor : non gloria Martis
542 didita per populos, nec ebur fascisque superbi,
543 quae nunc attonitis accendunt pectora curis.
544 At vero, immotos in se convertere vultus
545 lustratae puraeque animae : quam grandia semper
546 gaudia circumstant, et non aliena voluptas.
547 Quo neque degeneres fluxaeque e corpore curae,
548 nec leti imperium maestusque admittitur horror.
549 Quippe et principium vivendi, et terminus, hic est :
550 unde et sidereae caelestia semina mentes
551 deducunt, tenduntque iterum, cum mole sub atra
552 corporis, e tenebris veluti, aut e luce maligna,
553 ingentes oculos intendunt lumine toto.
554 Exutaeque nihil majus, nihil amplius usquam
555 inveniunt, neque jam ulterius contendere possunt.
556 Ut cum flumina vasta, diuque exercita cursu,
557 seu pater Euphrates, seu longe exortus Hydaspes,
558 Oceanum invenere, manent. Neque labitur ultra,
559 nusquam circumscripta suis jam finibus unda.
560 Haud secus illa, diu facies jactata per omnes,
561 sistitur hic tandem, factoque hic fine residet,
562 aeternum mansura polo terrisque superstes.
563 Namque illud, quacumque patet pulcherrimus aethra
564 flammifera polus, incumbens pelagoque soloque,
565 ardebit, mente incolumi, mentisque parente.
566 Scilicet et rerum nunc fecundissima tellus,
567 una parens frugumque eadem, pecudumque virumque,
568 stabit, anhela, tremens, squallenti torrida vultu,
569 flammaramque globos liquefacta ad sidera mittet,
570 cum gemitu fluviorum, atque indignantibus undis.
571 At super horrendo mugitu maximus aether
572 concutiet trepidantem ; abruptis undique nimbis
573 fulmina praecipitans, tempestatesque coruscas,
574 et late ambusti volvent incendia montes :
575 vastus Athos, multaque coma conspectior Haemus,
576 Gargaraque, et Rhodope, Tmolusque, et Pindus, et Oeta,
577 Emathiusque, Erymanthus, et imbrifer Apenninus.
578 Ipse pater densam provolvens pectore noctem,
579 immanesque humeros glacie liquefactus et ora,
580 excutiet lapsis axem cervicibus Atlas.
581 Pondere quo polus omnis humo ruet, et ruet omnis
582 tellurem sparsis involvens ignibus aether.

583 Aurea nec caeli evadent simulacra, nec ipse
 584 Oceanus genitor, spumoso turbidus alveo,
 585 gurgite qui rauco solidum circumtonat orbem.
 586 Quare agite, et mentem peritura evolvite mole,
 587 aeternosque animos certis affigite rebus.
 588 Hoc opus, obscuro digressus corpore et umbris,
 589 spiritus, et caeca membrorum lege solutus,
 590 persequitur, totusque in se diffunditur ipse.
 591 Et letum, non exigua jam parte peractum,
 592 excipit, atque animum poscenti reddit Olympo.

DE CONTEMPTU MORTIS LIBER II.

C_2 v.1 Hactenus affixam tenebris, vitamque per omnem
 2 sensibus obsessam, caeli ad primordia mentem
 3 duximus, et patriae errantem donavimus, ante
 4 funere quam summo mortales exuat artus.
 5 Nunc munire animum vera ratione docebo
 6 ante obitum. Da, nate Deo, dum pectore major
 7 spiritus exoritur, felixque illabitur ardor,
 8 hactenus ignotum populo decurrere campum.
 9 Regum ordimur opus, terrorem attollere supra
 10 fatorum, letique avidi semperque minantis,
 11 palantes animos. Quo nec suprema potestas
 12 sponte sua vexit trepidos ; nec purpura, nec quae
 13 signa per evictas attollunt plurima gentes.
 14 Hoc circum, quodcumque poli fulgentia tecta,
 15 et late extremis describit finibus aether,
 16 ut vero semota procul sententia dictat
 17 fortunae domus est. Quam magni rector Olympi,
 18 mutantem summis ima, et sine more ruentem,
 19 dirigit, ac pressis ex alto adducit habenis,
 20 providus : ipse auctor rerum ac suprema potestas.
 21 At quantum penetrare homini ratione negatum est,
 22 eventusque animo, et caecas distinguere causas,
 23 fortunam miseri dixere. Hanc tristis Egestas,
 24 et Labor, et miseranda Fames, et mille dolores,
 25 et totae morborum acies comitantur euntem.
 26 Ergo ubi, curarum in medio saevissima mater
 27 deposuit Natura hominem, caelestibus ortum
 28 seminibus, vitae impatiens in limine primo,
 29 personat ingratas querulis vagitibus auras,
 30 et nasci invitus, superos testatur et astra.
 31 Quoque magis flammae liquidos sub pectore motus
 32 hausit, et aeterni radios libavit Olympi,
 33 hoc magis ignavi detrectat corporis artus,
 34 ut male conveniens animo atque ignobile pondus.
 35 At quibus egelidus circum praecordia sanguis
 36 torpet, hebetque animi moribundo in corpore vires,

37 his neque libertas studio, neque meta laborum est.
38 Quin magis atque magis portu tremuere sub ipso :
39 admoniti quamvis Fortunae crebra minantis
40 fluctibus, et saevas experti numinis iras.
41 Usque adeo totis insedit sensibus error.
42 Quocirca, trepidae meditari incommoda vitae,
43 suadebo, ancipitesque vias tristesque dolores,
44 funditus ex imo pavor ut se pectore migret ;
45 illius inque locum subeat tranquilla voluptas,
46 et vitae despectus, et alta incuria leti ;
47 Quis sine nec dulces fas est deducere luces,
48 nec caelo, oblitam terrarum, attollere mentem.
49 Ac neque monstrandi labor impendendus inanis,
50 quae sua quemque premat sors, aut invisae sequatur.
51 Ante oculos namque innumeris volitantia formis
52 objecere Dei damna, ingratosque labores,
53 funeraque, ignaris mortalibus. Impius ex quo
54 Japetionides aeternum sustulit ignem,
55 et nondum genitas damnavit munere gentes.
56 Sive, ut prisca canunt majorum oracula vatum,
57 et melius chartis divini prodita Mosei,
58 postquam interdicta libavit ab arbore fructus,
59 telluris soboles, et nostri sanguinis auctor.
60 Hinc fera diluvies seriesque immensa malorum
61 protinus incubuit generi ; comitesque dolores
62 et majorum agitant contagia foeda nepotes.
63 Cuncta autem, neque qui numeros rimatus arenae est,
64 Delius, et veteres populorum oracula Delphi,
65 nec Dodonaeae referant ex ordine quercus.
66 At libertatem, caeli super ardua tecta
67 aetherius posuit genitor, quo pergere magnae
68 festinant animae, maestisque excedere rebus
69 corpore deposito, totamque intendere mentem.
70 In primis, ne quae fati venientis imago
71 occurrat trepidanti, interque, errore recepto,
72 nequicquam capiat securae gaudia vitae ;
73 virtutem excelsam inductor, quae pectore toto
74 contemptum insinuet rerum, vitaeque, necisque,
75 ardentesque intus stimulos accendat honoris.
76 Quam tibi, vel vitae ratio regina tuendae,
77 et leti sola imperio sapientia major,
78 vel veterum repetita dabunt exempla virorum :
79 seu Phoebus, seu quis Mavorte invictus et armis,
80 pertulit instantem sublimi pectore mortem ;
81 at servare alios longaeque arcere decebit,
82 quos pavor ille agitat, sensusque obsedit inertes.
83 Nec tam contagem horruerim, aut quae crimine caeli
84 ducitur, et totam paulatim pascitur urbem,
85 orta lues. Fuge singultus lamentaque, pubes,
86 et maestos gemitus, saevasque in pectora palmas,
87 et quaecumque adhibent natorum in funere matres.
88 At non sic Scythiae populi, et quos Thracia nutrit,
89 Thracia frigoribus damnata, et tristibus auris ;
90 namque ubi quisque videt caeli spirabile lumen,
91 et primum admissus sub lucem vagiit infans,
92 exululant cuncti pariter, gemituque sequuntur,

93 et mixtum lachrimis plangorem ad sidera tollunt.
94 Scilicet errorum memores, memoresque malorum,
95 et quibus infelix sub curis ducitur aetas.
96 Contra autem, laeto venientem murmure mortem
97 excipiunt, faustosque vocant, quos optima rerum
98 eripit e tenebris, tutaque in sede reponit.
99 Sed neque facundos suadebo accedere vates,
100 plurima dictantes, teneris quae mentibus hausta,
101 terrorem leti ingeminant, et imagine multa
102 circumerrant animum : ne caelo attollere pectus
103 discat, et infractos gelida formidine sensus.
104 Sive ater Phlegethon mixta caligine et igni,
105 undantem exhalat nebulam ; sive undique, caeco
106 pallentes novies Styx ambit gurgite manes,
107 seu cum Tisiphone tortos implexa colubros
108 intonat, et tristes intendit sontibus iras.
109 Seu Curae in foribus stabulant, Luctusque, Dolorque,
110 Scyllaeque, Harpyiaequae, ardentiaque ora Chimaerae.
111 Seu Priami magnusque Asiae populator Achilles,
112 dejectis nequicquam oculis, Acheronte sub imo,
113 multa gemit, lucisque animum dulcedine pascit.
114 Demens ! Quem nec servitii pudet aethere in alto,
115 ut dulces redeat post fata in luminis oras.
116 Hos illi Trojae proceres, hos maximus Hector,
117 optarent animos, cum Xanthus caedibus atris
118 heroum traheret spumantem turbidus amnem ;
119 aut cum Priamiden perfossum vulnere multo,
120 trajectumque pedes ambo, ter moenia circum
121 volveret, et Phrygio gemeret sub pondere tellus.
122 Dii vocem, Dii custodes virtutis avitae,
123 tollite de medio. Nec sit mihi discere tanti,
124 sub gelida quaecumque latent tellure reposta :
125 tota licet longas meditatur Graecia laudes,
126 fortunatorum nemorum, similesque recessus
127 Roma antiqua canit. Quos puro candidus amni
128 irrigat Eridanus, praeterque innoxia rura
129 labitur, et numquam morientes educat herbas.
130 Nec minus, imbelles animas, quibus igne medullas,
131 mobilis Aeneadam genitrix, Cythereia fixit,
132 vitare admoneam : dum leni carmine fingunt
133 molle genus, sexumque colunt rationis egentem,
134 et cui rara viam caelo constantia fecit.
135 Virtutem quippe excutiunt, nervosque rigentes
136 pectoris, illecebrae, mentique exosa voluptas.
137 Quin potius, doctis Academi insistere silvis
138 expediet, dulcesque senis demittere in aures
139 Cecropii monitus, et dicta undantia melle.
140 Est quoque culta viris antiqui porticus aevi,
141 munimentum ingens, et duro robore fultum,
142 tempestatem animi contra, letique pavorem ;
143 quo non ulla magis trepidos sententia firmat,
144 nulla magis duros adigit perferre labores,
145 et fati immodicas elidit pondere vires.
146 Prima, ut fama tenet, posuit fundamina quondam
147 Amphitryoniades, jussis agitatus iniquis
148 rege sub Eurystheo : postquam Styga reppulit atram

149 victor, et emeritus laudum, tulit aurea mala,
150 magnorum postrema operum. Quem pone secutus,
151 impiger, et multi patiens sudoris Ulysses ;
152 mox alii atque alii, gens nulli pervia sorti,
153 casibus aut dubiis, ipsique impervia leto.
154 Nil deforme viris, nisi quod pulcherrima virtus
155 nescit, et intactum vitio damnavit honestum.
156 Nec metuendum ultra. Non si ruat aethere toto
157 Jupiter, et rupto subsidant omnia caelo.
158 Cetera Naturae imperium, ceu sidera mundum
159 lapsa per immensum, communi lege sequuntur ;
160 nec secus excessere orbi lucemque relinquunt,
161 quam cum purpureum Lunae premit orbita solem,
162 aut Lunae exclusit radios Cybeleia mater.
163 Aut motus cum terrificos haustusque locorum
164 accipit, obsequiturque eadem justissima tellus ;
165 fatorum comites, et mundi ingentis imago.
166 Hi neque Naturae fieri ratione docebunt
167 terrorem leti egelidum. Quia quicquid ab illa est,
168 aeternum immotumque manet, neque tollitur arte,
169 aut usu assiduo. Nec enim non usserit ignis,
170 aut sursum ferri assuerit densissima moles.
171 Ille autem, neque cunctorum praecordia juxta
172 sollicitat, sensimque ingens dediscitur horror.
173 Hos sectare igitur, curamque interfice leti.
174 Nec forte obfuerit versantem extrema Catonem
175 objecisse oculis, dum saevi in limine fati,
176 fortunam increpitat, libertatique jacenti
177 immolat inconcussum animum, pectusque resolvit,
178 et quaecumque tulit gentis documenta severae,
179 Zenonis prolapsa domus magnique Cleanthae.
180 Ni rigor exsuperans atque inclementia multos
181 arceat, ingenuos Naturae exscindere motus
182 aggressa audaci studio, duroque labore ;
183 et magis invitet facilis sapientia mentes ;
184 nec nisi sponte Dei praescriptam abrumpere lucem,
185 Actaeus sub morte canens oracula vates,
186 censeat, et patri soboles aequaeva Tonanti ;
187 una salus nostro generi, et vitalis origo.
188 Quin potius, magnum Othryaden, Thebisque profectum
189 ductorem intuator : clypei qui tegmine salvo
190 exsultantem animam mediis immiscuit astris.
191 Romanos autem ante alios, interrita bello
192 pectora : tum quoties trepidae in discrimine palmae
193 fata manus, patriaeque anceps fortuna poposcit,
194 et blandae vetuit libertas parcere vitae,
195 devicta toties referentes morte tropaea.
196 Contemplator item spatium seriemque vetusti
197 temporis, ac metire animo quodcumque peractum est ;
198 aspicias raptis alios succedere : porro
199 ex illis aliam atque aliam succrescere prolem.
200 Non aliter, quoties elato gurgite Rhenus,
201 sive imbri insolito, seu tempestatibus auctus,
202 innumerum post se veniens rapit agmen aquarum.
203 Unda undam trahit : illa novam super attrahit undam.
204 Sic atavis proavisque, supervenere parentes,

205 et longe post nos venturum ducitur agmen.
 206 Praeterea, si rite animo subjeceris ante,
 207 illorum quos quemque suo tulit ordine letum,
 208 virtutem, mentemque altam, praeclaraque facta ;
 209 lumina tot periisse virum, tam certa videbis
 210 pectora, sanguinei tot fulmina tantaque belli :
 211 Aenean Anchisiaden, superisque minantem
 212 ardentem Aeaciden, et vim Telamone creati,
 213 immanes septem volventem in proelia tauros.
 214 Adde tot egregias animas, Heliconis alumnas :
 215 Maeonidae decus aeterni, magnumque Maronem,
 216 et Coum Samiumque senem, superisque secundae
 217 mentis Aristoclen, divino cujus ab ore
 218 dulcius aeri manavit nectare sermo ;
 219 quamquam illum et caelo, et longis majoribus ortum
 220 Neptuni de stirpe, tenet mirata vetustas.
 221 Adde animas, adde heroas quos vidimus ipsi ;
 222 Juliaden magnum inprimis : qui mente sub una
 223 omnia complexus, perque omnia saecula vectus,
 224 gentibus eripuit lumen, caeloque dicavit.
 225 Ergo tot populi attoniti didicere, tot urbes,
 226 egressum terris ; et sensit turbidus aether,
 227 nec soli radios expressit pallida Phoebe.
 228 Ante et magnanimo nil quicquam Caesare majus
 229 tempora per fastosque suos distincta vetustas
 230 produxit : quem summa dies tamen addidit umbris,
 231 et nunc undoso praelabitur amne Garumna.
 232 Quin etiam cecidisse altas cum molibus urbes
 233 aspicias, simul effusam per saecula retro
 234 incipies, totumque aevum dimittere mentem.
 235 Ipse vides : jacet ante oculos, orbique ruinam,
 236 et sparsam tota ostendit per moenia mortem
 237 Roma parens, quamquam spoliis immanibus alto,
 238 et tot culminibus quondam se inferret Olympo.
 239 Parva loquor, nec digna satis vertigine tanta :
 240 saepe etiam virides parvo post tempore campos,
 241 vidimus e medio Neptuni assurgere regno.
 242 Et mare nunc medium est, ubi veris tempore primi
 243 securos memini duxisse in gramine somnos.
 244 Praecipue, tecum ipse puta, quot maestus amicos
 245 extuleris. Quoties lacrimas excusserit ingens
 246 maeror, et infelix alieno in funere luctus,
 247 et quantus comitum paulatim excesserit ordo.
 248 Nec non et proprias cujusque introspecte laudes,
 249 et percense animo, et veluti praesentia volve ;
 250 hunc laetum, hunc niveis conspectum moribus, illum
 251 eloquio, et captos mulcentem carmine sensus ;
 252 hunc indivulsae conjunctum foedere vitae,
 253 omniaque expertum quondam, perque aspera tecum,
 254 et casus dubios vitae, et discrimina raptum.
 255 Jam grati soles, exactaque tempora noctis
 256 mille modis, parcusque latex rorantis Iacchi,
 257 sermoni infusus medio, blandique lepores,
 258 in mentem veniant, et non reditura voluptas.
 259 Jam loca congressu celebrata, acceptaque quondam,
 260 seu juga, seu ripae virides, muscosaque saxa.

261 Credo equidem, gemitum ex alto, et suspiria duces,
262 optabisque sequi tandem ; jam solus et unus,
263 et toties miser, et dulci frustratus amore.
264 Haud secus ac quondam divulsus ab agmine magno
265 aut dama, aut caprea infelix, quam fervidus Umber
266 dum premit, et silvam latratu personat omnem,
267 speluncae pastor subeuntem clausit. At illa
268 stat noctem, mutumque premit conclusa dolorem.
269 Longe illi fontes jam vivi, pascua longe,
270 consuetique greges, et amicum frigus ab umbra ;
271 nec nostro infixi labentur pectore vultus,
272 vel Vrinti, vel, Dousa, tuus, dum vita manebit.
273 Nec tuus heu antiqua fides ignotaque terris,
274 Lernuti ! Quem nunc medium dum findimus aequor,
275 eripuit non aequa dies. Ne laetus abires,
276 et plenus plenusque mei, cum fata vocarent,
277 Elysias sedes : haec tecum saepe revolvens,
278 et tristem nostro solatus carmine mortem.
279 Quid fratres, gratasque nurus, castasque sorores,
280 et quos blanda tibi conjunxit gratia lecti,
281 jam referam ? Comitemque tori, dulcesque propinquos,
282 et quae prima tibi quondam dedit ubera nutrix,
283 et prima excepit gremio, carosque parentes,
284 jam raptos, laetosque alibi, jam tristia rerum
285 evectos ? Nam posse ipsas cum corpore mentes
286 extinguere, res nulla docet. Furor impius egit
287 mortales, diversa sequi vestigia vero,
288 brutorumque animis torporem affingere nostris.
289 Ah tibi ne tam foeda, puer, persuaserit auctor
290 imbellis. Quamquam et patrias praescribat Athenas,
291 et multam referat Romano e carmine laudem.
292 Heu, fuge crudeles scopulos, et naufraga saxa.
293 Quippe etenim, si corpus humo cum cedere jussum est,
294 jam nusquam est pars haec ingens, qua vivimus una,
295 omniaque in terris gerimus ; jacet illicet omnis
296 et spes, et ratio virtutum, et nomen inane
297 religio, cultusque Dei, quem tota vetustas
298 amplexa est, vitaeque olim promissa voluptas
299 venturae, laetusque ardor, qui pectora famae
300 admonet, instantemque docet contemnere mortem.
301 Adde, quod in terris nihil est velocius illa,
302 et formas subit extemplo quascumque locosque ;
303 nunc fera, nunc volucris ; nunc priscae moenia Romae,
304 nunc petit Aegyptum viridem, fontesque latentis
305 ambiguos Nili et Libyae deserta peragrat.
306 Abdita nunc terrae ingreditur. Nunc proxima Soli,
307 inter et errantes per caelum volvitur ignes ;
308 et sola aeternum videt indefessa Tonantem,
309 proximaque assequitur, coeptisque audacibus urget.
310 Quoque magis toto diversa a corpore fertur,
311 hoc magis immensas diversa a corpore vires
312 explicat ; ac victrix membrorum incedit ; et ultro
313 evolat ad superos, propriisque enititur alis ;
314 parte carens omni, ne junctam ex partibus ullis,
315 diducat suprema dies. His adde, quod intra
316 se rapitur, magnaеque instar convertitur aethrae,

317 quo properat, formaque habilis jam tendere certat,
318 in gyrum assidue, et circum metatur eundem ;
319 fons motus et causa sui : vitamque ministrat
320 prima, nec alterius deductam e fontibus haurit.
321 Adde his imperium soli quod convenit, et quod
322 corporeasque premit pestes, omnemque coercet
323 immunem ratione animum, turbasque cientem ;
324 adversumque nihil, nihil est quod destruit intus
325 puram in se, longaeque alia contage remotam ;
326 nec ferrum capit, aut incussi vulneris ictum.
327 Adde, quod in toto nihil est, quo vergere possit,
328 quod fieri pars illa iterum. Non terra, nec aer,
329 nec mollis liquor, aut rerum purissimus ignis.
330 At neque pars ne falsa adeo consuesce doceri
331 corporis est animus. Tenuis ut fusus in auras
332 occidat extincto. Nec enim conclusus, et ut re
333 conditus, aut sparsa veteri fuligine testa,
334 deficit effracta, pariterque exstinguitur humor,
335 aut vestem sequitur diductam immobile corpus.
336 Adde his praecipue, blandae quod tempore vitae,
337 ingluvie, longoque aevo, tardaue senecta,
338 et morbis trahitur mens, internuntia tantum
339 aeternae intactaeque animae, non ipsa. Nec unquam
340 carpitur infelix, aut solvi posse fatetur.
341 Longe igitur molles Gargetti excedere fines
342 praecipio, blandosque hortos. Saepe inter amoenas
343 umbrarum latebras, et qua se plurima tellus
344 induit in florem, vario formosa colore,
345 occultus tegitur, furtimque allabatur anguis.
346 Heu quanto melius divinae oracula vocis
347 excuties, vatesque ipsos non omnia vates
348 vera negant, aut falsa canunt seu dirus Ulysses,
349 seu pater Aeneas, populos, post funera, raptos,
350 ante obitum videt, et seriem perlustrat avorum ;
351 seu cum Tantalides furiis agitated Orestes,
352 multa pavet, quacumque pedum vestigia fixit,
353 et matris nondum extinctam circumspicit umbram.
354 Nec nihil est, quod summus honos Acheronte sub imo
355 solvitur, et tamquam praesentibus omnia reddunt
356 quid superant. Quod vix Siculis allapsus arenis,
357 et ludos, et sacra parat Trojanus, et omnes
358 evocat ad cineres, tumuloque affatur ab alto.
359 Saepe igitur, tecum ipse, tuos jam lumine functos,
360 percense, et rebus jam nunc assuesce futuris.
361 Paulatim incipies vivendi addiscere finem
362 esse aliquem, quo sponte sua delabatur aetas.
363 Non secus ac nervo si quando excussa sagitta est,
364 illa volat, tenuisque secans perlabitur auras
365 protinus, et nusquam, nisi jam defixa, quiescit.
366 Aut velut in circo, cum se effudere quadrigae
367 faucibus e pictis ; volat irrevocabilis axis
368 raptus equis : donec spatiis exinde peractis
369 substitit, et summum circumivit cursibus orbem.
370 Ipsa monet mors quemque sui. Nonne aspicias ultro
371 ante oculos, ut nulla dies sine funere, Solis
372 condant equos pelago, roseisque emergat ab undis ?

373 Quin etiam, tellus tumulos ante ora tuorum
374 exhibet ipsa tibi, monumentaque luce carentum
375 cernimus assidue, mediisque erramus in umbris.
376 Haec tacite demissa juvant in pectora : ne mors
377 obruat immemores, subitoque invadat inertes.
378 Omnia praetereunt, finisque ab origine prima
379 fit propior propiorque sibi. Sic laeta juvenus
380 paulatim moritur, tarda accedente senecta ;
381 morsque sui est quodcumque fuit, quodcumque sub oras
382 excipit aetherias venientem, et limina vitae.
383 Naturam quoque saepe animo percurrere parentem,
384 haud ingrata dabit tantae solacia curae.
385 Corpora prima vides quanto molimine rerum
386 intereant, magnam meditentur ut omnia mortem :
387 ut funus terrarum et vasti indicat Olympi,
388 in se qui assidue mutando labitur ordo,
389 donec summa dies, haec circum ingentia texta
390 solverit, et cinerem supremum exegerit ignis.
391 Ipsae etiam pecudes armentaque laeta per herbam,
392 sponte sua, seu vi, concedunt omnia leto.
393 Ipsae etiam volucres, liquido cum murmure, dulces
394 deposuere animas, quamvis incommoda nulla,
395 nullam aut pauperiem, aut vitae sensere dolores.
396 Innocuum levibus transmittunt aera pennis,
397 quaque volant, reperere aliquam sedemve laremve.
398 Fluminaque, et silvae victum tribuere volentes,
399 curaque parva, domi similes educere natos.
400 Nec requies, quin vel moriens philomela sub umbra
401 dulce canat ; quin et funesto gutture cygni,
402 Maeandri ripas, et flumina nota Caystri,
403 pertentent, laetamque invitent carmine mortem.
404 Sive illis stimulos imo sub pectore numen
405 versat, agitque animum majoris lumine veri ;
406 sive illis ratio, nostris e mentibus, addit
407 exiles radios : quos vitae tempore summo
408 elicit, et virtus Naturae educit in altum.
409 Vere novo, quaecumque comis felicibus arbos
410 nascitur, aut viridis prolectat semina tellus
411 herbarum, e gremio, vitam illis frigore duro
412 interceptit hiems. Ustaeque, haud saepe resurgunt,
413 candenti glacie, et Boreae stringentibus alis.
414 Saepe etiam Nymphae, mediis in montibus ornum,
415 saepe etiam Nymphae, contactam aut fulmine quercum,
416 aut ulmum, aut saevo percussam vulnere pinum,
417 ludorum memores, et quas duxere choreas
418 sub foliis, luxere : illa haud reditura sub auras
419 occidit, et nullas jam texit frondibus umbras.
420 Quid florum genus omne canam, dilecta parenti
421 pignora ? Quamquam illis angusti terminus aevi
422 includit volucrum prima cum pube juventam.
423 Nec tantum posuere caput, cum grandinis horror,
424 aut Eurus, graviorque decus breve perculit imber ;
425 quam mallent roseos formosi pascere vultus
426 Luciferi, et niveos Aurorae ducere succos !
427 Quondam etiam, immites radios Hyperionis alti
428 expertos, penitus vitalis deficit humor,

429 et maestam lapso planxerunt corpore terram.
430 Sol quoque deficiens, leti argumenta futuri
431 saepe dedit, quotiesque attollit lumina vesper,
432 occidit, et nata moriuntur sidera luce.
433 Illa quidem reditura, vale, vale, omnia dicunt,
434 sub tenebris quoties texerunt tristibus ora,
435 aut cum laeta dies poscente accedit Eoo :
436 multa tamen latuere diu, fugiuntque videri,
437 aut prorsum intereunt, postquam implevere tremendos
438 fatorum monitus, et laesi numinis iram.
439 Nec non arta tenet leti confinia somnus,
440 seu cum multa quies victosque altissima sensus
441 alligat, ignarosque alibi quodcumque malorum est ;
442 seu cum errantem animum diverso a corpore solvit,
443 immensamque docet per se consistere mentem.
444 Quae saepe excussis, ceu libera, fertur habenis,
445 per loca corporibus clausa, et distantia longe,
446 et libertati nondum praeludit adepta.
447 Jamque monet properare alio, quo maxima quemque
448 evocat, et misso petitur certamine palma.
449 Nec vos arguerim, caeli qui limina, quique
450 venturam vitae faciem, lucemque serenam,
451 gaudiaque, aeternam posito quae corpore mentem
452 excipiunt, multo jam nunc praecurritis ante ;
453 sensibus evecti, quantum sors corporis aegri,
454 imbellesque sinunt leges, divisaque jura.
455 Ante alios, genitorum ipsum, quem mille cohortes
456 aligerae circumvolitant, jussisque ministrat
457 in turmas glomerata, poli formosa juvenus ;
458 quaeque homini praenosse licet, quantumque futuri
459 conscia, divino monitu praedixit Idume :
460 alloquio caeli, et superum dignata favore.
461 Nec vos, qui mundi extremum quo vescimur omnes
462 aera, morborum auspiciam, causamque malorum
463 asseritis, saepe autumnus letalibus austris
464 impulsum, subitoque aestu, subitisque malignum
465 frigoribus, saepe accenso divinitus igni.
466 Quem nec Paeoniae potuerunt flectere curae,
467 sed mors sola potest ; nullorum causa dolorum,
468 sed requies finisque altae placidissima mentis.
469 Quippe illam, sedes animarum, innoxius aether
470 excipit, et tristi defunctos corpore cingit.
471 Nec qui corpoream e leto consistere molem
472 arguitis : quippe et tellus, et debilis aer,
473 et flammae vigor, et flammae contrarius humor,
474 materiem leti moribundo in corpore versant.
475 Sunt, quibus horrorem immodicum letique pavorem
476 conciliant vanae species, et mortis imago,
477 aut menti modus ante diu praecognitus ; ac si
478 mors aliud foret atque aliud, graviusve minusve
479 extincto. Seu tela manu fabricata Cyclopum
480 immittat pater, et tanto caput obruat igne,
481 terrifico insurgens tonitru, caelumque per omne
482 inter se fracto impellens cum murmure nubes ;
483 seu centum super incumbat crateribus Aetna,
484 seu totum fugientem animam circumstrepit aequor,

485 aut montis simulacrum, ingens e gurgite monstrum,
486 qualia multa mari mediisque in fluctibus, altas
487 circumerant puppes, armenta immania Nerei,
488 hauriat, aut lato tellus discedat hiatu.
489 Saepe metum peperit vis importuna doloris
490 conspecta ante oculos, impressaque sensibus ; aut cum
491 incubuit morbus gravior, vel vulnus ad ossa
492 incussum totis descendit viribus. Atqui
493 nec dolor est in morte gravis : dolor omnis abactus
494 ante obitum, cum luce perit. Quaecumque timemus,
495 aut tulimus, dum vita manet, dum spiritus, una
496 abscedunt, cum blanda suo de corpore vita
497 diffluit, et tenues animus differtur in auras.
498 Quin etiam vitae fungentem munere, sensus
499 deficiunt, linquntque animus, puramque quietem
500 praebet, et extremae similem, nulloque dolore
501 torpet, et attonitam trahit in consortia mentem.
502 Vanum igitur causamque sui dedisce timorem,
503 aut supera, morbumque fuga virtutibus hostem.
504 Atque ideo saepe illud enim quoque profuit illis
505 quos deformis agit leti metus aspice crebro,
506 quos saevi ante obitum morbi durique dolores
507 exercent, aut quis fugientis tempore vitae
508 imminet, et nigra mors circumvolvitur ala ;
509 nec non et quos illa tulit, quos vita reliquit,
510 aspice : collapsasque genas, pallentiaque ora,
511 oblitosque oculos jucundam ducere lucem.
512 Et quaecumque patent maesta ac deformia visu
513 sensibus humanis ; cum magnus transiit hospes,
514 et, caeli, excedens, sese in convexa recepit.
515 Qui simul angusto vacuum pro corpore mundum
516 induit, et spatium immensi possedit Olympi,
517 ipse suos longe collustrans despicit artus,
518 ut quondam celsa e specula, aut e rupe, viator,
519 neglectos positosque procul despexit amictus.
520 Sunt quibus illecebras pavidis, ut vincula captis,
521 injiciunt, linqnenda domus, patriique voluptas
522 ruris, et exculi proavis felicibus horti ;
523 aut dulcis conjux, natique parentibus orbi.
524 Corpore quae posito, nec jam superesse putandum est,
525 si non angustos excedunt corporis usus,
526 nec desiderium superest aut cura fruendi.
527 Sed neque tempus idem fati, neque terminus aevi,
528 metaque. Namque alii subito, nil tale timentes,
529 corporibus teneris ceu flos quem conspicit Eos
530 tollentemque caput caelo et formosa rubentem,
531 Hesperus immiti veniens proscindit aratro
532 surgentem prima vitam cum luce relinquunt.
533 Felices, quibus ante annos, segura malorum,
534 atque ignara sui, per ludum elabatur aetas.
535 Seram alii mentisque inopem venere senectam.
536 Heu quibus impulsus vitae dum vita manebat
537 fluctibus ! Heu quoties ingratos surgere soles
538 videre, et soli ingratas succedere noctes.
539 Ah, miseri, quibus acer amor lucisque cupido
540 corde haesit pavido. Luctantes gurgite vasto,

541 mille inter scopulos, saxisque haerentia saxa,
542 litoribus proram obvertunt, sedesque quietas
543 naufragio in medio fugiunt, patriamque vocantem.
544 At quondam optato cum primum in litore puppes
545 constiterunt, pelagi emensae quodcumque pericli est,
546 post Scyllae rabiem, formidatamque Charybdim,
547 et sale quassatam dubio ventisque carinam,
548 Oceano, patri rerum, et tibi maxime Nereu,
549 vota coronati solvebant debita nautae.
550 Nec tamen infelix Hecube, cum Pergama flammis
551 versa videt, captosque Deos, tractumque per aras
552 Laomedontiaden, crudeli occumbere ferro,
553 et caedem Polydore tuam, sparsosque cruore
554 Pelidae thalamos, longaevae incommoda vitae
555 nescit, et immites nequicquam plurima divos,
556 voce vocat, maestamque optat non ducere lucem,
557 et Priamus, Pyliusque parens. Sed laeta juvenus
558 fortunae obsequiis, et adhuc intacta dolore,
559 felicem metuit vivendi absolvere cursum.
560 Quid memorem, quemque ut doceat jam senior aetas,
561 aspera quamquam absit durae violentia sortis,
562 velle mori ? Cum tardus hebet sub pectore sanguis,
563 et morbi adveniunt, nec jam pars corporis ulla est,
564 utilis aut curis, aut fortibus utilis armis.
565 Ipsaque mens, veluti, cum jam Titanius orbis
566 pallentes radios caligine tingit et undis,
567 languet, et extremam patitur succedere noctem.
568 At vos, dum superat vigor ille intactus et acer,
569 dumque calent ferventque animi, dum robora corpus
570 sufficit indomitum, venturi in tempore leti
571 contemptum exercete viri. Sic magnus Achilles,
572 totus adhuc plenusque sui, Phoebeia tela,
573 et flammam Alcides funestae pertulit Oetae.
574 Hinc adeo, veri studium mentisque vigorem,
575 maerorem contra assiduum, foedosque tremores,
576 et breve vivendi spatium, sub pectore cuivis
577 condidit omnipotens genitor, quo maximus ille
578 exuitur leti pavor, atque extenditur aetas.
579 Sic Graium antiqui proceres, quos fama reponit
580 dis ipsis inter genitos, magnique Quirites,
581 concessere quidem fato, quo tempore fixa
582 eripuit series quemque, atque immobilis ordo ;
583 sponte sua, seu quem saevi tulit area Martis.
584 Quod superest, totum venturi temporis aevum
585 adjecere suo. Clausique in corpore, saepe
586 robustos gemitus hirsuto e pectore mittunt ;
587 virtutis memores, et libertatis amore.
588 Ut cum fortis equus Pisaeae victor olivae,
589 aut quem sanguineus saeva ad certamina Mavors
590 deposcit, fremitusque virum, lituosque tubasque,
591 nunc misero datus agricolae, pede creber inertem
592 pulsat humum, patriamque domum testatur et ignem
593 naribus, et curvum collo aversatur aratrum.
594 Tum quoties tota ante oculos consistere visa est
595 posteritas, quoties extemplo gloria dulcis
596 vivendi post fata, ardorem incussit honestum ;

597 continuo totis vanescit mentibus horror
598 imbellis, laudumque ultro succedit imago.
599 Nec tristis leti facies, nec nomen inane,
600 evertent solido firmatas robore vires
601 pectoris, aut caeco quatient molimine mentem.
602 Hoc vero auxilium imprimis adhibere memento,
603 fatorum terrore animum perculsa juvenus.
604 Nec frustra toties, iterumque iterumque monebo,
605 exercere aciem mentis, fatigue latentem
606 exspectare diem, cunctosque invadere factis
607 quotquot ab Eoo venientes litore soles
608 exerit Oceanus. Sic vitae impenditur omnis,
609 et late producta patet quae ducitur aetas,
610 Virtutis spatium descripta, et laudis honore,
611 quam nec summa dies, nec sors intercipit ulla.
612 Nam patet immensum, longeque extenditur extra
613 fortunam vitamque animus, suaque omnia secum
614 vindicat, et terris non interitura relinquit.
615 Nec labor insolitus veniat, nec credere caelo
616 neglectos non aude artus, seu Sirius agris
617 flaventem exurit segetem, seu frigore saevo
618 adversis Boreas defixit flumina ripis,
619 nec totis dubita sudorem indicere membris.
620 Paupertas durusque labor, fregere pavorem
621 immitis leti. Nec raro incomptus arator,
622 callosusque manus, et multo sole perustus,
623 incumbens stivae, et sterili, dum viveret, arvo,
624 aut pastor, Jove sub gelido producere noctem
625 consuetus, veluti redituram tempore parvo
626 deposuit vitam, patriasque effudit in auras.
627 Nec mihi displiceat, qui saepe pericula gaudet
628 stare caput circum, dubiisque increscit, et altam
629 virtutum segetem media depascit in herba,
630 fortis ab adversis meliorque ad singula, rebus.
631 Sola docent adversa mori. Res pectora figunt
632 sensibus, et caelo non respexere, secundae.
633 Adveniet tempus quondam ne quaere moneri
634 praecepta, et nigri contemptum addiscere leti,
635 cum tristes animis infligunt vulnera curae.
636 Adveniet, cum sponte tua discedere vita
637 et maestam optabis nequicquam abrumpere lucem :
638 seu rapta infelix desertum conjuge lectum
639 plorabis ; seu, nata, procis jam mille petita,
640 jam devota toro, jam primos pacta nepotes,
641 ante fores thalami, et ridentis Hymenaei,
642 occidit, et fato spes intercepta fefellit ;
643 seu patri similes ipsa inter gaudia natos
644 extuleris, nequicquam amens victusque dolore.
645 At nos urgenti rationem opponere morti
646 tendimus, apprime tunc, cum laetissima ridet,
647 nec quicquam ingratum sors non adversa minatur :
648 nunc saeva, interdum facilis, quamquam omnia dura
649 expedit, et tristes penitus cognoscere casus,
650 et rerum scopulos, et maestae incommoda vitae.

DE CONTEMPTU MORTIS LIBER III.

C_3 v.1 Bella vocant, foedaque animi formidine mortis
 2 solvendi, prius arma manu quam tollere miles
 3 incipit, et lateri custodem accommodat ensem.
 4 Crescit opus pariterque ardor, quamquam ardua restant,
 5 debita nec justis indulgent tempora Musis
 6 otia, speluncaeque cavae nemorumque recessus,
 7 et scatebrae fluviorum, et grati vatibus amnes.
 8 Nec nos Pausilypi colles, nec consita myrtis
 9 Mergillina tenet, fusaeque ad litora glaucae
 10 Nereides ; nec nos viridis Sebethus, ab antro
 11 prospicit umbroso, gelida qua plurimus herba
 12 cingitur, et dulces citrorum e floribus auras
 13 spargit odoratus Zephyris fragrantibus aer.
 14 At non pura deest, at non tranquilla voluptas,
 15 quamquam inter strepitus, quamquam inter gaudia vulgi,
 16 in sua conversam penitus subducere mentem
 17 sensibus, et toto jam nunc subducere leto,
 18 si qua fata sinant, summoque e vertice Pindi,
 19 Belgarum populis decerptam ostendere laurum.
 20 Hanc mihi frondentem tumulo defige sub alto,
 21 Rutgersi, postquam atra dies exegerit olim
 22 infractum terrore animum. Nam cetera conjux,
 23 communesque tibi, si quae est fiducia lecti,
 24 persolvent tacito deserti in funere nati.
 25 Jam mihi principio, generosi Martis alumnus,
 26 cum primum aetherias vagitum attollit in auras,
 27 devotus nasci patriae mortique futurae
 28 sentiat extemplo, luxumque ejuret inertem.
 29 Illi adeo procul a cunis ignava Voluptas
 30 absistat, somnosque leves Patientia nutrix
 31 conciliet, ventosque pati condiscat et imbres.
 32 Sive illum in medio castrorum interrita mater
 33 edidit, et clypeo nascentem sustulit horrido
 34 enitens ; seu forte domi, dum proelia miscet,
 35 et crudum genitor defendit moenibus hostem.
 36 Nec non et gladios fulgentes, telaque tangat
 37 sanguine respersa, et suspensa in limine primo
 38 instrumenta necis. Tum, si quae, praevia morti,
 39 aere procul longo sonuit tuba, corpore toto
 40 gestiat, et pulchro jam nunc occurrere leto
 41 promittat, tenerasque manus et brachia jactet.
 42 Mox et purpurea vix dum lanugine malas
 43 inscriptus, fremat arma vigil, noctemque sub atram
 44 aestuet, ardentem excussus pectore somnos.
 45 Atque illum aspiciens matrona e turribus altis,
 46 aut longe hostili sub culmine regia virgo,
 47 intactam primo tabescens vulnere mentem,
 48 horreat infelix ; seu prima exordia cernit
 49 irarum, torvosque oculos, gressumque minacem,
 50 sive incompositas voces, incomptaque membra.

51 Omnibus, aeternae quibus est custodia curae
52 mentis, et idem animus generoso occumbere leto,
53 imbellis toto prohibendus corpore torpor,
54 et quae mollities sensus oblimat inertes.
55 At vos praecipue, quos duri gloria Martis
56 exercet, tolerate, viri, quemcumque laborem,
57 protinus, et totas animorum intendite vires.
58 Vos et cornipedem a teneris inflectite : vobis
59 auspicia armorum, et belli simulacra ciendum
60 crebrius, et magnos tranandum saepius amnes,
61 aut salsum adverso frangendum pectore pontum.
62 Saepe etiam, ardentem cum Sol accenditur orbem,
63 millia multa viae gradiendum, aut corpus in auras
64 librandum, connixum hastae. Tum vimine juncto
65 iliceae crates, mediisque in vallibus ingens
66 palus, et impulsus crebris gemat ictibus aer.
67 Nec non et tenuis delectet victus, et asper,
68 tironem, quo quemque tulit fors obvia quaeque,
69 et gelidae, quamquam glacies stetit horrida circum,
70 haustus aquae, fessusque via fractusque labore
71 immenso, quamcumque premat sub corpore terram.
72 Sic bello asseritur virtus, sic foeda voluptas
73 interit, et leti paulatim exscinditur horror.
74 Nec duros operi nocet intendisse lacertos,
75 aut caelo firmasse animos. Invicta juvenus,
76 rupibus in mediis scopulisque educta, sub Arcto,
77 quaerenda est ; sulco lassata et caedere fustes
78 quadrifidos. Quos nullus amor vitaeque suique
79 imbuit intrepidus, opibusque affixit et auro.
80 Profuit et primos Venerem fugisse per annos,
81 et sero blandas Hymenaei accendere taedas.
82 Hinc vigor, hinc vires solidae, morituraque primam
83 ante aciem soboles, ferroque invicta juvenus.
84 Praecipue, dulcem patriae primaevus amorem
85 imbibat, et deforme viris horrescere discat
86 servitium : semperque animis infixata recurrat
87 libertas, victorque hostis. Quantum ille minetur
88 exitium, captaeque domo, natisque toroque.
89 Tum tot saevitiae facies, et sanguine toto,
90 atque animis centum, centum si fata dedissent,
91 dedecus avertendum, et captae opprobria vitae,
92 cunctaque virtute in terris gladioque parari,
93 et vitae pretio. Quam sponte aut pallida tabes
94 exiget, aut totis incumbens viribus ardor ;
95 nec melius, quam cum, summo in discrimine rerum,
96 aut pilo aut stricto mucrone educitur acer
97 spiritus, ire foras dignoque evadere leto.
98 Non illum longae trahit inclementia mortis,
99 nec dolor imbellis lacrimas, cum summa minantur,
100 exprimit aut gemitus. Sed adhuc arrectus et ardens
101 dilapsus, magnoque emissus vulnere, lucem
102 transit in innocuam, meritoque occurrit Olympo.
103 Sed neque secretos sapientum insistere calles
104 praecipiam. Decet arma rudis constantia recti,
105 nec crebri monitus, sed honesti cultus et aequi,
106 exemplo incumbens majorum, et fortibus ausis.

107 Ducitur exemplo melius Mavortia virtus.
108 Quin etiam hortatus heroum, et grandia verba,
109 cum patriae rebusque monent impendere vitam,
110 profuerit versare manu : si nescius artis
111 praecipue sit sermo, brevisque, et fortis, et ardens,
112 arma inter genitus, qualem sub casside fundunt
113 Romani Graiique duces, cum jam instat Enyo,
114 et steterunt utrimque acies, nescitque morari
115 arrectus sonipes, et lentis pugnat habenis.
116 Nec minus excelsas armasse in proelia mentes
117 Tyrtaeum memorant, qua pingua culta Galesus,
118 seu pater Eurotas, invicto interluit amni,
119 Tyrrhenae quam signa tubae, lectumve, priusve
120 auditum, quam prima manu praeluderet ira,
121 et junctis pariter miscerent proelia signis.
122 Cetera parce puer, nec te sapientia dulcis
123 nequicquam, aut discendi ingens circumegerit error.
124 Nec mihi Stagirae veteris tristisque Cleanthae,
125 cum patriae res poscit opem, pervolvere tiro
126 incipiat placita, primasque inquirere causas,
127 et rerum series. Quamquam fuit utile multis,
128 quid fortem deceat, qualem sapientia ponit,
129 vestigasse prius ; nec non et, robore quantum
130 corporis indomito, rabieque et caede ferarum,
131 intersit ratio, belloque interrita virtus,
132 nec spe nec pretio, sed soli obnoxia pulchro ;
133 naturamque animae, et totum perdiscere verum.
134 Talibus imbutus studiis, doctaeque Minervae,
135 et Sophiae gremio, et casti rectoris in ulnis,
136 Cliniades, ut fama refert, eductus, ad arma
137 devenit, galeaque genas inclusit et ora.
138 Nec quisquam antiquo prognatus sanguine Thesei,
139 aut acres Spartae populos, aut turbine tanto,
140 Trinacriam afflixit omnem, patriosque perosus
141 fregit Erechthidas, totumque exterruit aequor.
142 Nec dubitem, imbutos illis, venisse sub alta
143 Pergama, Peleiden invictum pectore et armis,
144 et geminos reges, et quem Salaminia tellus
145 edidit, immemorem leti ; seu nube sub atra
146 Troas agit, circum caligine fusus et umbris,
147 jamque optat cum luce mori ; sive Hectora contra
148 ardentem, immenso provolvit robore saxum.
149 Est in Thessalia herbosa, qua Pelion altum
150 deficit, et rarae densantur frondibus umbrae,
151 vallis, ab objectu nemorum diversa, nec Austro
152 obvia, nec Boreae. Zephyrus perlabitur herbas
153 lenis et erranti similis, floresque comantes
154 parturit, aut genitis fecundas sufficit auras,
155 et tepidos rores, et amicum e collibus imbrem.
156 Illic magnanimum, ut fama est, eduxit Achillem
157 junctus equo Chiron. Quo nec facundior alter
158 semiferos inter, morbosque avertere dextra
159 promptior, aut altas ad laudem effingere mentes.
160 Atque hic, dictamnum viridem, succosque salubres
161 Paeoniae, panacemque sui de nomine dictam
162 auctoris, quamque ipse suo de nomine dixit

163 Pelides, studio immenso nutribat et arte.
164 Et quae praeterea diversos gramina succos,
165 aut vires de matre trahunt. Quas prima vetustas
166 tradidit, et seri vix acceperere nepotes ;
167 parthenion, polionque, et vix nunc cognita terris,
168 nepenthesque, balinque, et quam, si credere dignum,
169 primus Atlantiades Circeo in litore visam
170 effodit, primusque agili monstravit Ulysssei.
171 Radix nigra quidem, niveo sed proxima lacti
172 flos albet, flavetve aliquo subpallidus auro.
173 Non illam superent, quas usquam maxima tellus
174 educit, pulcherque suo Sol elicit igne,
175 aut vires magicas arcere, aut solvere captas
176 dulcibus illecebris animas, aut denique caelo
177 illustres oculos purgatae attollere mentis.
178 Cetera distincti variabant vitibus horti.
179 Hic crocus, hic loti veteres, pictique hyacinthi,
180 spirabant dulcem foliis humentibus auram,
181 noti olim in terris primi. Nunc mille colores
182 solertes operae, ac rerum provector usus,
183 repperit, et totum distinxit floribus annum.
184 Haec inter, vitiis immotum leniter aevum
185 transibat, curvaque senex in valle sedebat.
186 Saepe illum curae defixum et suavibus herbis,
187 aut leges animae, et Naturae arcana latentis
188 rimantem, penitusque absentem pectore toto,
189 vidit nata dies : saepe illum invenit eumdem
190 exortus sero formosus lumine vesper.
191 Valle sub adversa, platanis pendentibus atrum,
192 stabat, et occultis horrebat frondibus antrum.
193 Quis subter volucres Auroram mane recenti
194 purpureo e thalamo foribusque exire parantem,
195 gutture mulcebant liquido, nemorisque per umbras
196 auratum radios meditantem immittere Solem.
197 Illic venatu assiduo, crassoque cruore
198 imbutus, defessa solo deponere membra,
199 caesarum incumbens spoliis tergisque ferarum
200 sueverat, et serum Peleides ducere somnum.
201 Quem torvus, parcoque mero, multoque labore
202 durabat senior. Nec raro ad proelia dextram
203 formabat puero, clypeoque aptabat et hastae.
204 Ac tum, saepe gravi testudine, tristia bella
205 heroum, fortesque neces cantabat, et ausus
206 ingentes, cum Graia manus jam posceret arma,
207 et magnum tolli e gremio spectaret alumnum.
208 Tum super incumbens lacrimisque amplexus obortis,
209 jam galea cinctum, jam gressum ad castra moventem,
210 dicitur has sancto fudisse e pectore voces :
211 "Nate puer, genitrice Dea, te maxima tellus
212 nunc vocat Assaraci, Simoisque, et Xanthus, et audax
213 Anchisae soboles, et amicus caedibus Hector.
214 Primus ego, summi prognatam in vertice Pelii,
215 succisam virides ramos, ferroque rigentem,
216 ipse tuis jam nunc aptavi viribus ornum.
217 At clypeum, lato spatiisque immanibus amplo
218 complexum texto Oceanum, terrasque jacentes,

219 Ignipotens dabit, et nigro Cyclopes in antro.
220 Illic et numquam defessum surgere Solem,
221 et Phoeben plenam aspicias, summumque per orbem
222 errantes alias aliasque ex ordine fixas
223 flammaram effigies, cognati lumina caeli.
224 Nec non et thoraca dabit, galeamque micantem.
225 Sed tibi nec clypei ingentis gestamen, et aere
226 inclusi ferroque artus, nec caerula mater,
227 avertet leges fatorum, et Jupiter auctor.
228 Hic Chiron, artesque omnes, hic Thessala tellus,
229 herbarum genitrix, hic victus cessat Apollo.
230 At proferre manu contractae tempora vitae
231 fata sinunt, totumque patet virtutibus aevum.
232 Nec vero spes finge animis, pedibusve salutem
233 quaere puer, tergumve objice. Qua dextera cumque
234 non deerit, Troesque cadent, tutissimus ibis.
235 Imbelles alii latebras, aditusque malignos
236 nocte sub obscura, tenebrasque et furta, sequentur.
237 Audendum tibi, nate dea, mediumque per hostem
238 pectore nitendum, qua Mars densissimus urget,
239 et ferro via sola patet. Sic Pelea quondam,
240 sic prius Alciden memorant, quos regia caeli
241 inserit agminibus stellarum et lacteus ordo.
242 Nam tenues animas, crassa compage solutas,
243 accipient loca pura, et formosissimus aether ;
244 ast aliae, vitiis depressae, in Tartara sident
245 sponte sua, magnumque errabunt inter inane,
246 incustoditae laxati vincula mentis.
247 Sic prisci docuere senes. Pars maxima nostri
248 aeterna est, quae cuncta gerit, neque cernitur ulli.
249 Hanc neque tela manu juvenum vibrata, nec ensis
250 haurit, et intactam transmittit vulnere bellum.
251 Quod superest, mors tota tenet. Hoc aspice circum
252 sub pedibus, vastique oculos e vertice montis
253 circumfer. Quodcumque premis, quodcumque tueris,
254 occidet, aut leto similes vanescet in auras.
255 Hi quoque, care puer, quos nunc complectimur artus,
256 Troja licet, saevusque absit procul hostis et arma,
257 exitio tamen ipsa dies dabit. Exitus idem
258 imbellem fortemque manet. Mors omnibus aequa est.
259 At laudes leto immunes, vitamque quod ultra est,
260 crede tuum, pulchrosque ausus, et semina caeli,
261 interea, dum fata sinunt, et laeta juvenus,
262 immensum, quacumque patet, diffunde per orbem."
263 Dixit, et amplexus medium dimisit. At ille
264 vix dextram insinuans dextrae, vix pauca profatus,
265 feralem Priamo quatiens cum vocibus hastam,
266 armatum extemplo saltum dedit. Horruit ima
267 vallis, et umbrosas nemorum fragor impulit auras,
268 et tota intremuit tellus sub Pelio alto.
269 Haec equidem novisse velim. Nam cetera Mavors
270 impedit, et firmanda aetas praesentibus ausis.
271 Cetera sunt discenda manu, praeque omnibus unum ;
272 omnia dura pati, et quaecumque incommoda membris
273 inducunt, corpusque domant. Patientia vires
274 intendit, sensusque docet succumbere menti.

275 Nec leve Dianae studium tentare vetabo,
276 seu leporem, seu forte juvat deprendere cervum,
277 spirantemque, et adhuc halantem solvere, ferro
278 frustra obluctantem, pedibusque extrema moventem ;
279 nec gravius, multoque magis sudore luendum,
280 sive ursus sese informis tulit obvius ultro
281 umbroso e nemore, aut deserti e culmine montis ;
282 seu mixtum transactus aper vomit igne cruorem ;
283 ante canum strage immensa, multoque superbus
284 sanguine, quam toto penitus venabula ferro
285 hausit, et extremo constravit vulnere terram ;
286 seu validum saevumque in equo subsistere taurum
287 suasit amor pugnae, et propior Mavortis imago.
288 Tempore sic prisco cruda atque edura juvenus,
289 ultro illudebant leto, letique premebant
290 virtuti adversum terrorem, animisque fugabant,
291 Centauri Pholoe geniti, domitorque ferarum,
292 et Pollux, et Castor, et Oenides Meleager.
293 Nec pudor, imbellisve metus, nec jura vetabant
294 audentem, aut ditem vicino e litore praedam
295 subvectare humeris, aut forti abducere raptō
296 armatis ferro, mugitum ad siderasursum
297 tollentem, et multa conspersum caede juvenum.
298 Quin etiam, qua vasta jacet desertaque tellus
299 ardentis Libyae, qua Nilus nascitur, et qua
300 turgidus Euphrates praerupto labitur alveo,
301 bella feris gens tota gerit, pariterque leonem,
302 non secus ac si totae acies in proelia tendant,
303 aut circum foveis veniunt, aut vulnere multo,
304 et rauco sonitu clipeorum, atque ignibus, urgent.
305 Saepe viri magnam circumstant agmine denso
306 cratibus et longis protecti corpora villis,
307 indutique artus agrestis tergora tauri,
308 speluncam, flagrisque impellunt aera. Donec
309 fulminis in morem, aut hiberni gurgitis instar,
310 egreditur, saevoque obtutu incendia volvens
311 intonat horrendum. Non sic tremit arduus aether,
312 cum super Indorum scopulos et confraga saxa,
313 labitur immanis, resonatque ad litora, Ganges ;
314 maximus ipse suo, bis denisque amnibus auctus,
315 in mare provolvens sinuosam anfractibus undam.
316 Jamque per obstantes, post vulnera major et iram,
317 vertitur, et densos telorum disjicit ictus.
318 Olli instant, supraque alii. Dum sanguine multo
319 fractus, et exhaustis procumbit viribus hostis.
320 Est quoque, digna viris, Martique agnata voluptas,
321 interea dum bella silent, dum dulcia castris
322 otia miles agit, positis aut luditur armis,
323 accipitris summo pendentis in aere pugnam
324 rem nostri spectare aevi. Volat ardea longe
325 aut grus, aut magno connixus remige milvus,
326 nubibus in mediis. Ille, ut dimissus herili
327 insonuit pugno, terramque adrasit et imum
328 strinxit iter, sensimque agiles surrexit in alas ;
329 fertur in attonitum, visumque allabatur hostem ;
330 aut ascendentem sensim, ac suprema petentem,

331 insequitur, gyro indulgens, et turbine multo ;
332 jam propior, propiorque instans. Aut corpore toto
333 imminet, et prono frustratus pondere fertur
334 assimilis labenti. Illa haud ignara nocendi,
335 rostro arcet tentantem aditus, laterique minantem,
336 et varios supra assultus infraque parantem ;
337 aere vix pendens liquido, atque immobilis alis.
338 Ille urget, fessamque premit. Dum victa pavensque
339 decidit, acceptamque cani dedit icta ruinam,
340 aut raptam ad dominum falcato pertulit ungue.
341 Praecipue tamen, aspectus Mavortis, et arma,
342 consertaeque inter se acies, formidine turpi
343 exsolvunt animos : cum vulnera crebra tuemur,
344 et prope tot mortes, quot tela excussa per auras
345 librantur, strictisque viri mucronibus instant,
346 undique et effuso spectantur sanguine rivi,
347 atque exspirantum fremitus in morte minaces.
348 Ac velut in campis, meditantem proelia primum
349 exercent, pavidam belli, simulacra juventam ;
350 sic strages recte in medias cumulosque jacentum,
351 ducitur aetate a prima Mavortis alumnus ;
352 ut mors ipsa minas paulatim evicta remittat,
353 addiscenda diu. Namque assuetudine multa
354 vincitur, et sensim mens obdurata rigescit.
355 Ac neque tam solidi ferro thoraces et aere,
356 nec leves ocreae, et cristati vertice coni,
357 quam lucis decet angustae contemptus et aevi,
358 Mavortis sobolem, natasque ad proelia mentes.
359 Quippe vides, animo armatas exire phalangas,
360 contemptuque magis leti, quam tegmine vasto
361 immanis clipei : triplex licet, et licet igne
362 incoctus Chalybum, ferratos respuat ictus.
363 Namque ferunt, vires illum cum colligit omnes,
364 hoc saepe instructas acies perrumpere solo,
365 invictos heroas, et agmina sistere tota,
366 scutisque, gladiisque, et acutis horrida telis.
367 Nec refert, quibus aut terris, aut sanguine creta,
368 corporis aut spatio quanto, decurrat in hostem
369 vis animi : saepe explosi quae fulminis instar,
370 quamvis exiguo veniens e corpore, qualem
371 Tydea magnanimum Graii cecinere poetae,
372 arma viri, pariterque virum ruit aequore campi.
373 Ille vel Alciden superet grandemque Typhoea,
374 immanes humeros, et latum pectoris orbem.
375 Sic cum pulvereus totum rotat aera turbo,
376 exortus dum bella gerunt contraria venti,
377 procumbunt piceae passim, platanique valentes,
378 et fagi Jovis, et densae radicitus orni.
379 Omnia nam superat leti contemptus, et acer
380 invictusque animus. Nihil illi triste minaxque,
381 qui mente intrepida potuit, concurrere fato,
382 jussus, et urgenti subito non cedere leto.
383 Quicquid in adversis posuerunt numina castris,
384 unda quoque, et tellus, lucisque obtutus, et aer,
385 audendo, pulsoque necis terrore parandum est.
386 His Macetae vicere armis, Romanaque pubes,

387 terrarum domitrix. His cessit viribus orbis.
388 Nec nobis animi, nec nobis vivida virtus
389 desit adhuc, fortesque irae. Nec tempore nostro
390 effeta est tellus : quae bello interrta corda
391 edidit, et priscos dedit in certamina reges.
392 Sed longo certoque opus est cum viribus usu,
393 et primis animos horroribus ante piandum,
394 saepe aliquid pulchrum audendo. Seu praeda cruore
395 empta placet, sive incursus tentare per hostem.
396 Dum victus magis atque magis tremor occidit, et dum
397 stare sub immoto consuescit pectore sanguis.
398 Fidentes genitor per saeva pericula Mavors
399 respicit : ipse manu clipeum galeamque comantem
400 objicit impavidis, victorque impune fugaces
401 proterit, et certas cedentibus ingerit hastas,
402 nec quisquam tergum Deus aspicit. Ergo age, sensim
403 pro patria rebusque tuis conscripta juvenus
404 disce mori, pulchramque armis impendere vitam.
405 Nascenti calcanda semel via publica leti est.
406 Sic Natura tulit. Nec si quis corpore toto
407 pallidus, exsanguisque metu, genitricis in alvum
408 divertat, totaque caput tellure prematur,
409 evadat. Stant fata Dei, stat ferreus ordo.
410 Una patet, mediumque vacat directa per hostem
411 semita, nec turpi opprobrio, nec cognita morti,
412 qua ferro densata acies, et plurimus umbo,
413 sponte vocat ducitque viros. Sic sidera migrant
414 heroes magni, sic scandunt aethera manes.
415 Nam simul ardentis, saevae in certamine pugnae,
416 pectoribus stimulos incussit regia virtus ;
417 et pulchram laeta implevit victoria mentem,
418 tum patriae infelix facies, natiqque focique ;
419 hac omnes dextra innixi, letoque ruendi ;
420 continuo neque tela pavet, neque respicit hostem.
421 Ipse autem, toto jam major corpore, jamque
422 terribilis, totusque oculis immanibus ardens,
423 ingreditur. Quaque arma movet, seque arduus infert,
424 pallorem, trepidamque Fugam, maestumque Pavorem,
425 atque omnis facies terrorum in proelia ducit.
426 Namque videmus, ubi sonitum tuba Martia raucum
427 edidit, et torvo crepuerunt cornua cantu,
428 protinus ut totos animus descendit in artus,
429 irritatque necem, et medium se immittere in hostem
430 deproperat : neque genua labant, neque sanguine vincto
431 cor trepidat. Quamquam circumstent undique ferro
432 millia multa, ruantque equitum peditumque catervae,
433 densaque telorum tempestas, et tonitru vis
434 ignea, quae gentem, quae totam everteret urbem,
435 emotam quatiat tellurem e sedibus imis ;
436 multaque missa neci volvantur corpora passim
437 quadrupedumque virumque, et leti ignobilis horror,
438 haereat ante oculos, totoque erumpat Averno.
439 At saepe interea, rerum fidissima conjux,
440 multum heu vota facit, lacrimasque altaria circum
441 fundit, et imbelles trepidant in limine nati ;
442 illum autem, media sociorum in strage jacentem,

443 immotum, rupisque instar, nondumque feroces
 444 compositum pressumque oculos, post proelia victus
 445 horruit, et longe conspectum expalluit hostis,
 446 nec referre putat, patriaene in finibus orae,
 447 an quacumque datur, superas emissus in auras,
 448 spiritus egreditur, sursumque per aera tendit.
 449 Omnis in objecti pariter via limite caeli
 450 desinit : idem aequae terras amplectitur aer ;
 451 et quas frigore Boreas immitibus urit,
 452 et quas zona tenet candenti proxima Phoebos.
 453 Nec piget extremo Batavum sub Sole secantem
 454 aequoreas cautes, et circumstantia cete,
 455 exhalare animam. Quamquam neque funera mater
 456 respexit, natiq̄ue oculos pressere rigentes.
 457 Saepe etiam, Titanem extra, radiosque diei,
 458 et vitae spem depositae, mortemque sub ipsam,
 459 instantis retinet contemptum pectore leti.
 460 Nec refert, tumulone aliquo condatur et urna,
 461 an nudus jaceat deserto in litore truncus,
 462 Dum Phoebi facies, adversum in pectore vulnus
 463 arguit, et dulci sic libertate fruuntur,
 464 et patria, et longe venturi e stirpe nepotes.
 465 Talibus auspiciis caelo crevere potentes
 466 Oebalidae primum. Nulla illis moenia, nulli
 467 urbem olim, nulli cingebant oppida muri.
 468 Nec bello fas oppositos praetendere vallos.
 469 Tela simul murique, animus, non cedere leto
 470 doctus, et invicti pretio percussus honesti.
 471 Nec fas, lamentis miserandam accendere matrem
 472 sidera, virtute erepto pro conjuge nato,
 473 et patrum invalidis, et libertate nepotum.
 474 Sed scuto impositos tollebant laudibus artus,
 475 et multo undantes siccabant sanguine vultus.
 476 Nunc quoque, dii, priscae memorem virtutis et aevi
 477 aspirate animum patriae, tot vulnera passae.
 478 Seu Pax respiciat tranquillos foedere Belgas
 479 aeterno. Quae jam miseros post tempore tanto,
 480 sanguine fraterno madidos, nec tota, revisit.
 481 Sive undae bellorum, et tristia fata, minentur
 482 hostibus invictas inter se evertere gentes ;
 483 sed potius Pax laeta veni. Tibi moverit arma
 484 hactenus, et multo lassarit funere Mavors
 485 Flandrorum populos, contemptoremque Batavum
 486 lucis, et in toto meditantem proelia ponto,
 487 usque vel Oceano qua Sol devexus, ad Indum
 488 volvitur occiduum, nostroque obvertitur orbi.
 489 Nec mihi, Diva parens, magni incunabula Ganda
 490 Caesaris, optarim peregrino in litore vitam,
 491 quam patrias inter senior dediscere Nymphas
 492 armorum strepitum, maestique incommoda belli,
 493 et circumfusum spumis candentibus aequor
 494 Cattorum scopulos ; aut Lizae proximus ; aut qua
 495 fluviorum Scaldis genitor, torvusque videri
 496 Livia, sublimem ingreditur pulcherrimus urbem,
 497 et tres in medio populorum illabatur undas.
 498 Sin tantum abnuerit nobis Discordia votum,

499 et quae nunc patriam populosque exercet Erinnyis ;
 500 haerentem dulci exsilio, solabitur acer
 501 Rhenus, et incassum numquam imploratus Apollo,
 502 aut Musae comites, quae circum flumina, circum
 503 Lugduni gelidos exercent otia rivos.
 504 Hic magnis animis, nec inertum numine, nostras
 505 dicam acies, vinctasque uno sub foedere gentes :
 506 Vangiones, Celtamque agilem, Cimbrumque, Britannumque,
 507 Euganeosque sinus, pulchramque Antenoris urbem,
 508 fetam armis, fetamque animis et laude virorum.
 509 Quam mediis habitantem undis, ac jura profundo
 510 ponentem pelago, thalamis sibi rector aquarum,
 511 centum annes, centumque trahens ad festa sorores,
 512 jungit, et attonitas vocat ad spectacula gentes.
 513 Illa autem refugio turrita e gurgite surgit,
 514 invictosque premit populos, suaque omnia longe,
 515 aspicit, et latum circumerrat puppibus orbem.
 516 Et qui nunc Geticis Mavortem detinet oris
 517 multa reluctantem, regnoque avertit Iberum :
 518 sive illi justo discedit Sarmata bello,
 519 gens laeta insidiis, laudesque oblita suorum,
 520 et binos inculta pavet Livonia reges.
 521 Seu Boreae glaciem, nec tutum frigore Moschum
 522 fulminat, et gelidas percurrit sulphure cautes,
 523 quem visu horrendae facies, Estique, Gothique,
 524 Finnique, Lappique, incincti pellibus ora,
 525 totaque circumsternit hiems. Ille impiger armis,
 526 nec caeli furiis nec tempestatibus impar,
 527 quadrupedem indignantem animis, vincique negantem,
 528 temperat, aut doctas solatur munere mentes,
 529 aut sacrum capiti primaevo inducitur aurum,
 530 et Sueonum faciles non dedignatur habenas.
 531 "Quicquid ero, quaecumque animum fortuna sequetur,
 532 nec leti metuens, nec Phoebi intactus amore,
 533 heroum meritas transmittam in saecula laudes."

DE CONTEMPTU MORTIS LIBER IV.

C_4 v.1 Nunc tibi, nate Deo, mundi melioris origo,
 2 extremum, quod restat adhuc, decurrimus aequor,
 3 Omnipotens. Tibi mortali de sanguine creto,
 4 nec caeli minus invicto terraeque parenti,
 5 jus vitae arbitriumque sui, mors tota remisit,
 6 et fracti cessere Erebi cum fontibus amnes.
 7 Felices hinc morte tua, primordia lucis
 8 ducimus, et victi tenebras calcamus Averni.
 9 Prima adeo leti faciem, caecosque tumultus,
 10 corde recursantes dubio poenamque trahentes,
 11 subdidit alma fides, magni complexa Tonantis
 12 immensam sobolem assidue, quam protulit, aevi

13 impatiens, semperque in se conversus et haerens
 14 aeternus vitae genitor, velut aethere in alto
 15 flammantes radios, formoso e lumine, Titan.
 16 Illum igitur, longe conspectum, atque omnia luce
 17 complentem numquam occidua, perque omnia numen
 18 tempora fundentem, cunctorum oracula patrum,
 19 et longus venturum olim praedixerat ordo
 20 Isacidum, sceptri gens non ignara futuri,
 21 extra orbem letique vias : ubi nulla piorum
 22 gaudia, cura necis, volucrisque includeret aevi
 23 festinata dies. Quippe illuc ducere vates,
 24 attonitos caeli monitu sacroque furore.
 25 Illuc tot Cananaeae amnes, viridesque recessus,
 26 fluminaque, et dulci manantes nectare lucos,
 27 arvaeque caelesti vix decedentia mundo
 28 arboribus patulis, fecundaeque ubere glebae.
 29 Illum omnes heroum animae, quas saecula prisca
 30 ediderunt, videre, inter curasque laboresque,
 31 et leti terrorem, et maestae incommoda vitae.
 32 Illum et Lamechides, scelere gentique superstes
 33 humanae, cum praecipites ex aere nimbi,
 34 montibus undarum gravidi, caelumque per imbres
 35 ingrueret terris, terrasque involveret aequor,
 36 illum et fecundus genitor, cui natus ad aram
 37 astabat, generis tanti et spes sola nepotum,
 38 jam vinctus pictasque genas pulchrosque lacertos,
 39 eductumque atro tincturus sanguine ferrum :
 40 ni puer ex alto volucer demissus Olympo,
 41 libratum, sacra cervice averteret ictum.
 42 Illum, oculis quamquam captus, pater Isacus, illum
 43 canities Jacobi longaeva, in limine leti,
 44 vidit ovans animi ; vel cum se immanibus ausis
 45 luctator caelo opposuit, natoque Tonantis.
 46 Illum etiam, dux intrepidus per devia Moses
 47 additus erranti populo, conterritus hausit
 48 saepius, aut fessis prae-euntem, aut numine fractas
 49 instaurantem acies, aut cum caligine multa
 50 vestitus, totoque ardentis culmine montis,
 51 bis quinos monitus ingrato panderet orbi.
 52 Ante alios autem, imperio fidibusque decorus
 53 magnus Jessides, ingentes pectore motus
 54 praesensit, totumque animo concepit Olympum,
 55 et consanguinei regnum viresque superbi.
 56 Nec secus ac longe conspectum affatus amicum est.
 57 Quin etiam, tanto percussus numine, tristis
 58 visurus Phlegethonta negat, manesque profundos,
 59 attonitus, laetusque animi certusque salutis
 60 acturus : quamquam medio deprensus Averno,
 61 et circum obsessus gelidae caligine mortis ;
 62 pactorum memor, et promissi pignoris haeres.
 63 Hinc pulchros memorat sceptri venientis honores,
 64 et regem, terrae dominum, fatique potentem,
 65 portendi : virga indomitos qui proterat hostes
 66 ferrea, justa animum si quando incesserit ira.
 67 Hujus in adventum, stimulis percussus iisdem,
 68 et caelo plenusque Deo, nova saecula condit

69 maximus Amosides, regum haud indignus avorum.
70 Ille et, criminibus pulsam, terrisque fugatam
71 Astraeam, caelo comitem descendere ab alto
72 aspicit ingenti puero. Quo frausque dolusque,
73 et leti metus, et tristi vis proxima leto,
74 desinet, et fracto mitescent tempora ferro.
75 Nec stabulis se inferre lupus cessabit, et agnis
76 acclinare latus : junctaeque informibus ursis
77 pascere securae media de nocte juvencae.
78 Nec pecudes inter totisque armenta diebus
79 nequicquam formae saevorum errare leonum.
80 Nec quinque, ac totidem, dictantes fata puellae,
81 nescivere diem, caelo quae jungeret alto
82 depressas errore animas, certosque furores,
83 visaque mandarunt foliis. Sic tempore ab omni,
84 et vix jam prima crescentis origine mundi,
85 dilecto occurrit populo : seque omnibus unum,
86 adventumque suum, dulcemque ostendit amorem.
87 Terrorem ut leti horrificum, maestosque pavores,
88 vita idem, vitaeque auctor, formidine captis
89 tolleret ex animis. Summo dum missus Olympo,
90 ferratos magno erueret molimine postes
91 Eumenidum, gentesque atro subduceret orco,
92 ereptas leti imperio, et crudelibus umbris.
93 Ac veluti, si quem laetae sub flore juventae,
94 versat amor, primumque animum dulcedine tangit
95 casta Venus, nequit expleri, pictosque pudore
96 miratur lustratque oculos, nutusque loquentis
97 observat, sequiturque pedum vestigia passim
98 obvia, nec pulchro meminit discedere vultu :
99 haud aliter, summi non enarranda parentis
100 progenies, nunc hac terras sub imagine, nunc hac,
101 lustravit, praesensque suis occurrit ab alto,
102 et comitem dedit, et rebus conjunxit egenis :
103 corpore dum nostro, terras intrare parantem,
104 suscepit, nostroque hausit de sanguine, tandem,
105 nupta Deo, totumque parens illaesa pudorem.
106 Protinus exortum, tenebris cedentibus ultro,
107 ceu nato post astra die, gens omnis Iessae,
108 promissis infixam animos, sparsaeque per urbem
109 reliquiae tenues veterum sensere piorum ;
110 jam desiderio exhausti, jam mentibus aegri :
111 optantes eadem cuncti, pariterque precati,
112 depositum vitae, pignusque ante ora tueri,
113 atque oculis coram domitorem expendere leti.
114 Ut cum magna domus, digressu exercita pridem
115 grandaevi, quem sola videt, quem sola parentem,
116 sola diu jam dixit avum, spemque omnis in uno
117 fixit, et assiduis lassavit sidera votis ;
118 si quae illum patriae carisque parentibus olim
119 prospera lux longis venientem sistat ab oris :
120 illum adeo, multis si jam volventibus annis
121 accipiant reducem ; certatim hinc turba nepotum,
122 hinc castae matres, hinc certant oscula natae
123 praeripere, et laetas diffundunt atria voces.
124 Hunc igitur, seu mane novo Tithonia conjux

125 ardentem Phoebi radiis praevertitur ortum,
126 seu cum candentem medio regit aethere currum,
127 et sero Oceani condit sub gurgite Titan ;
128 unum animis specta, totoque in pectore conde,
129 tot quondam insidiis, tot tempestatibus actum.
130 Sive illum virgo infelix, castissima rerum,
131 magali locat in medio, fenoque reponit
132 plorantem, et nostro singultus ore cientem.
133 Seu Nilum petit exilio, patriosque penates,
134 heu puer, et multo quaesitus sanguine linquit.
135 Quem propter, dum dulce caput vix tollit in auras,
136 tot blandae cecidere animae, mediasque per urbes
137 attonitae planctu ruperunt pectora matres ;
138 sive illum genitor pallentis circuit Orci,
139 et longe populo semotum, in culmine sistit
140 verticis abrupti : seu dirae incommoda gentis,
141 et totam Solymae crudelis sustinet iram.
142 Sive illum, quem non animi capit igneus ardor
143 humani, non caeli obices, non ultimus aer
144 includit, tellusque pavet convulsa tonantem,
145 exercet miseranda fames, morbique laborque,
146 pondere sub nostro assidue culpaque gementem :
147 seu cum purpureus toto de corpore sudor
148 dimanat, tristesque Acheron horrore tremendo
149 mortis in adventum gelidae, perlabitur artus,
150 et totum jam nunc animo praegustat Avernum.
151 Praecipue, cum terram inter caelumque profundum
152 sublimis, latus effossum, squallentiaque ora,
153 gentibus ostendit pavidis : letoque sub ipso
154 inclinat caput, et stillantem sanguine vultum.
155 Haec crebro repetens animo, crebroque revolvens,
156 dulcibus indulge lacrimis. Vitamque per omnem,
157 illis vulneribus, illoque in sanguine maestus
158 circumeat : mentisque oculis humentibus hauri,
159 ceu praesens, luctantem animam, Ditique necique.
160 Haec inter, veluti venturam ad singula, mortem
161 intuior, ne quae rerum subrepat inanium
162 cura, vel illecebris blandae capiare juventae ;
163 oblitusque tui, tantoque oppressus amore,
164 ingentem precibus vitae venerare parentem,
165 aeternamque Dei sobolem : tot saecula frustra
166 patribus expectatam olim, votisque vocatam,
167 cui nec lanigerum manantes sanguine fibras,
168 nec pinguis tauri ardentem suspendere ad aras
169 viscera profuerit ; quamquam alte in cornua surgat
170 jam primum, crescatque animis. Sed pectore ab imo
171 flagrantem gemitus crebro, et suspiria duci,
172 erroresque animo repeti, vitamque peractam ;
173 talibus instando, crebroque, eademque monendo :
174 magna Dei soboles, tibi enim tibi pectora maesti
175 solvimus, et salsos lacrimarum effundimus imbres.
176 Heu genitor, rerumque opifex ! Heu patris imago !
177 Heu totum vitae pelagus ! Totumque profundum !
178 Tene olim, caelo venientem, urbisque per omnis
179 brachia tendentem miseris, morbosque fugantem,
180 et Regis tantum aetherii praecepta canentem,

181 in terris, leto dedimus ? Tene, optime, cum jam
182 vulneribus tergum effractus, flagrisque cruentus,
183 deficeres, nostrosque artus, ceu pignora, supplex
184 ingereres nequicquam oculis, divellere ferro
185 humanae potuere manus ? At territus aether
186 haesit, et obscena latuit caligine Titan.
187 Tunc etiam dulcem mixto cum sanguine lympham
188 reddebas moriens, venturae pignora vitae,
189 et totum rupto fundebas corpore amorem,
190 visceribus mediis eductum, et pectore toto.
191 Nos scelerum facies, aeterne, explevimus omnes.
192 In te poena ruit, nostraeque injuria culpae,
193 et lapso generi mors intentata, per artus
194 exhausta est, invicte, tuos. Ne vita periret
195 omnibus, aut leti sub mole immota jaceret,
196 plena metu, plena imbelli formidine et umbris.
197 Tu serus, tu mane animis illabere nostris,
198 tu solus totusque fave. Te spiritus unum
199 induat : incumbatque tibi, jam functus et exsors
200 casibus assiduis, et inertis corporis usu.
201 Talia cum gemitu, seu vox exacta sequatur,
202 seu nullus linguae strepitus se didat in auras.
203 Haec adeo, dum vita manet : seu laeta juvenus
204 corpus agit solidum, seu nondum effeta senectus
205 exercet toto defectas sanguine vires.
206 At vero, postquam ossa calor jam linquere coepit,
207 ultimus, et leti suprema advolvitur hora,
208 cum jam haeret lingua infelix, visuque sub ipso
209 diriguere oculi ; tum vero, intendere mentem,
210 tum magnos gemitus praesertim, ad sidera volvi
211 edico, et totum precibus convellere caelum ;
212 tum mitem versare animo dulcemque parentem,
213 cujus in aeterno fixa est clementia nato.
214 Sentiet omnipotens, et opem, miseratus, anhelis
215 sistet, et attonitis, oculisque offundet ab alto
216 instantis speciem formosam et gaudia vitae.
217 Unum hoc praecipue, si quae est fiducia vero,
218 et caelo demissa juvant praecepta, monebo
219 assidue : quantum precibus contendere fas est,
220 posce Fidem, posce intrepidus, certusque potiri.
221 Illam caelicolum genitor, cum numine terram
222 fundaret, solidumque undis includeret orbem,
223 edidit, auxilium lapsis in Tartara rebus.
224 Illa polos penetrat, longeque in saecula mittit
225 ardentis transacta oculos, venturaque lustrat,
226 et caeli sequitur tot per convexa Tonantem.
227 Picta sinus, picta undantem per nubila limbum.
228 Hic genus heroum, caeli quibus atria Diva
229 reclusit, seriem longaevam a sanguine primo,
230 pectine sollicito, multaque intexuit arte.
231 Stant terni proceres, stat magno foedere nixa
232 progenies, totum terrae promissa per orbem,
233 stellarum similis. Stat torva Aegyptus, et omnes
234 sudorum facies, et foeda incommoda regis.
235 Et jam servitium pertaesa, et triste tyranni
236 imperium, caelo armata et famulantibus Euris,

237 ibat laeta acies. Hic atram incumbere nubem
 238 fecerat ordinibus : medioque ex aere, flammae
 239 fulgentes radios pulchrumque albescere lumen
 240 nocte sub obscura. Jamque illos gurgite in ipso,
 241 instantum immemores, mediisque incedere in undis,
 242 cernere erat. Dabat egressum fugientibus aequor,
 243 et sponte immensos sternebant aequora montes.
 244 Nec longe Debora, et Gedeo, et formosus Iephta,
 245 incedunt, humeris conspecti, et pectore lato ;
 246 omnes pollicitis vatum, virtutibus omnes
 247 invicti, monitisque animos ingentibus acti.
 248 At natus Manua, spatiosa in valle leonem
 249 connixus dextra illidit, tergoque revulsas
 250 murorum portas et ahenos sustinet axes,
 251 rupis inaccessae, aut frondosi culminis instar,
 252 intonsus, setisque rigens immanibus heros.
 253 Nec procul hinc tactum Jordani interritus amnem
 254 insistit senior, quem turbo abruptus in altum
 255 mox, et candentes rapiunt super aethera bigae.
 256 Illum caeruleas afflatu accendere nubes
 257 cornipedum longe aspiceres, comitemque per auras
 258 brachia jactantem nequicquam, et vana moventem.
 259 Nec non et juvenes, primaevae robora pubis,
 260 oblitos leti, flamma in fornacibus ingens
 261 lambebat, perque ora viris et eburnea colla
 262 hinc inde errabat paulatim innoxius ignis.
 263 Atque hic porticibus subnixam, et mille columnis,
 264 praetextam cedro molem, ad fastigia summa,
 265 instabat Solyme venturo attollere Regi ;
 266 Templum, immane, ingens, pulchrisque Orientis amoeni
 267 conspectum donis, et barbarico elephanto.
 268 At vates, unum attoniti, visisque subacti,
 269 unum omnes, defixi oculis animisque, tueri.
 270 Illum autem, qua parva jacet despectaque Bethle,
 271 et requies pecori, et pecoris dilecta magistris,
 272 ignotum terris, nec quicquam tale minantem,
 273 ubera siccantem in gremio materna videres.
 274 Quem senior, multumque animo rimatus, et ante
 275 venturum edoctus generi, quam lumina vitae
 276 linqueret ; exsanguis jam aevo, accurrensque, tremensque,
 277 protendensque manus ambas, arteque prehensum
 278 vociferans premit, et lacrimis affatur obortis.
 279 Parte alia, tenues animae, vitaeque silentium,
 280 emergunt tumulis, quas vox emissa, sub auras
 281 elicit, et turpes discedunt corpore morbi.
 282 Tantus honos, magnae tanta est fiducia Divae.
 283 Ipsa aeterna sedet, summoque intenta parenti,
 284 haud umquam immotos declinat luminis orbes,
 285 praesentemque videt : genitumque ante omnia natum
 286 saecula, nec nostro meritum succumbere leto,
 287 toto ardet versatque animo, totoque reponit ;
 288 jam vitae dominum, nil jam mortale tenentem :
 289 nec jam humiles, ut quondam, artus, aegrosque trahentem,
 290 sed nostros tamen, et, nostro cum corpore, longe
 291 praevectum strepitus, et victi limen Averni.
 292 Cui simul incubuit, roseisque infusa lacertis

293 pressit adoratum caelo caput ; omnia late
 294 nubila discedunt, tristisque e pectore cura
 295 vanescit, letique cadit densissimus horror.
 296 Non aliter, cum blanda tenet clementia terras
 297 aeris, exactisque simul cum nocte tenebris,
 298 formosum parat Eous sustollere vultum,
 299 et Solis jam venturum praenuntiat aurum ;
 300 vix summae nutant segetes, summoque recidit
 301 litore, nec canis indulget fluctibus aequor.
 302 Illa etiam, quamquam flamma stridente per artus,
 303 respicit innocuos, tutaque in pace reponit,
 304 et totum morte in media diducit Olympum :
 305 quantus erit, quantusque animos caligine pulsa
 306 excipiet, fessae statio suavissima vitae.
 307 Illam autem insequitur laeto Spes candida vultu,
 308 et sublimis Amor. Quem caeli examine, nullae
 309 formarum facies, aut pulchri avertit imago.
 310 Quid tantum dilecta suis promisit alumnis
 311 Porticus, aut Stagira potens attollere vero
 312 pectora, vicinoque senex collatus Hymetto,
 313 dulcior eloquio percussas flectere mentes ?
 314 Quamvis Elysios depingat plurima campos
 315 Phaenaretae soboles, solique incumbat honesto,
 316 nec leti nequicquam animis instillet amorem ;
 317 multa canens, quae nec divina oracula vatum
 318 non cecinere prius. Sic, cum vestigia lustrat
 319 densa ferae, terramque impressis naribus haurit
 320 vestigatque canis ; nunc huc nunc vertitur illuc
 321 et sese augurio infelix oblectat inani
 322 errantis, repetitque eadem, sequiturque relicta
 323 exululans : montesque procul campique resultant,
 324 et longe, nemore e medio respondet imago.
 325 Illa latet, solumque sui diffundit odorem.
 326 Namque diu, primum Assyriis in finibus orta,
 327 Aegyptum mox fecundam permensa, Pachynum
 328 contigit, et doctas Sapiencia venit Athenas ;
 329 larga quidem, multamque trahens e fontibus undam :
 330 non tamen expurgata satis, nec sordibus expers.
 331 Abramidae qualem, prisca gens hospita Nili,
 332 accepisse ferunt, summoque e numine natus
 333 hausit, et in terris divino prodidit ore,
 334 cui semper tranquilla Fides innixa recumbit.
 335 Hanc deposce igitur, votisque ardentibus urge,
 336 venturisque intende animum, et praesentia temne.
 337 Quin etiam, vitiorum odium, et virtutis amorem
 338 posce frequens. Mors impuras formidine carpit
 339 exercetque animas : Furiaeque ante ora vagantes,
 340 terrifico admonitu taedarum, et tristibus hydri,
 341 supplicia intentant miseris, poenasque minantur.
 342 Quas probitas, quas prisca piis a mentibus arcet
 343 simplicitas, rectique ardor, neglectaque terris,
 344 uda genas, sparsa incultos Metanoea capillos :
 345 visu haud laeta quidem, sed qua non aptior ulla,
 346 aut caeli reserare fores, aut tollere leti
 347 terrorem, maestisque animis abstergere curas.
 348 Felices nimium, quibus his se jungere solis

349 contigit, et vitae comites assumere tantas.
350 His haere, his assuesce lubens, his pectora firma.
351 His neque te Musarum Helicon, nec mollia vatum
352 carmina, regalesque epulae, multusque Lyaeus
353 avertat, Somnusque pater, qui nocte sub atra
354 volvitur, et fessos curarum illabitur artus.
355 Nec legum tristisque fori sapientia discors,
356 Paeoniusque labor : quem nunc male turpis egestas
357 commendat ; caelo quondam Phoeboque parente
358 exortum ; si vera refert, ambage sub illa,
359 Graecia, nil ultra vires mirata decusque,
360 egregiae dignaeque Diis auctoribus artis.
361 Sed neque dulce poli studium, lapsusque tueri
362 aetheris assiduos, et quae simulacra vagantur,
363 aut certis aurata locis immota quiescunt.
364 Mittendum est animum longe super aethera, longe
365 Aurorae thalamos supra, et laquearia mundi
366 ultima : si leti tibi cura excedere fines,
367 et vitam gustare prius penitusque requiris,
368 ante suo tardi quam cedant corpore sensus.
369 Sed neque magnarum properanda negotia rerum,
370 et quaecumque humiles invitant praemia mentes,
371 Aeterno rege abducant vitaeque parente :
372 aut sublimis honorum ardor, defixaque terrae
373 numquam expleta fames auri. Quantum illa veneni
374 intulit humano generi, quantumque relicto
375 in terris animi patitur sordescere caelo.
376 Ut cum sepositum teritur rubigine ferrum,
377 neglectum simul agricolis, et inutile bello :
378 sive hastas juvat, et volucres armare sagittas,
379 vomere seu duram splendenti invertere glebam.
380 Ergo iterum subigi tellurem iterumque monebo
381 obstantem, tardosque, ut pridem, avertere sensus,
382 usibus humanis, totamque avertere mentem
383 sensibus : et certis immotam affigere rebus,
384 ex quo deceptos coluber formidine turpi
385 involvit, pulchroque hominem non passus in arvo,
386 immunem leti imperio traducere vitam.
387 Illic sub tremulis argutae frondibus aurae
388 assidue suspirabant, et odoriferum ver
389 spargebat tellus, spargebat lacteus aer.
390 In medio fons purus aquae, niveaeque videri
391 crystallo similis, formoso natus in horto,
392 quattuor hinc totas atque hinc obeuntia terras
393 flumina fundebat, latis solacia campis.
394 Quippe illinc musco virides, interque lapillis
395 distincti niveis, certabant currere rivi,
396 et tutos summo suadere in margine somnos.
397 Quarum temperie madidasque aspergine ripas,
398 herbarum partu assiduo ridere putares.
399 Ridebant ripae, ridebat roscida tellus.
400 Nec pictae florum facies, cantusque volucrum,
401 usquam aberant, vallesque cavae, collesque supini.
402 Ipsi autem, nullo contacti corda dolore,
403 et vacui curarum, aut circum in gramine laeto
404 plaudebant choreas, aut fontes propter opacos,

405 ignaros operum condebant carmine soles.
406 Aut rerum percussi animo novitate, recentem
407 naturae genium, et magni primordia mundi
408 lustrabant, pictosque oculos flammantis Olympi :
409 quotque dies, tanto surgentem corpore Solem,
410 quantus caelo ardet, flagrantem lampada volvens
411 per spatium mundi immensum, vultumque comantem.
412 Nec non et terras animalia sparsa per omnes
413 tum primum, primaque omnes ab origine causas.
414 At nimbos segetum, quos terra inculta ferebat,
415 ambrosiae tinctos succo et vitalibus auris,
416 afflabant Zephyri errantes, messemque perennem,
417 non sulco genitam, non curvae falcis egentem,
418 et sponte ex ipso manabant aere mella.
419 Nec minus et multum caelo nemus, arbore densa
420 surgebat. Quarum in medio, pulcherrima longe,
421 aetherios panaceae imbres, rorisque beati
422 aeternos latices, nigrae medicamina morti,
423 spirabat Vitae foliis felicibus arbos.
424 Saepe sub hac, ut fama refert, flagrantibus ambo
425 involvit radiis, et luce ardentis Olympi
426 majestas vicina Dei, totamque juventam
427 afflabat vox una, et inenarrabile murmur.
428 Saepe Dei soboles, clara se in luce refulgens,
429 exhibuit, turba aligerum comitata, per aethram
430 delapsa, rursusque polo discedere visa.
431 Altera, laeta quidem, blandisque uberrima pomis,
432 quam foeda ingluvie spirisque immanibus ingens
433 cingebat coluber, Diti sacer. Heu quibus ille
434 perditus insidiis rerumque ambagibus orsus,
435 impulit, attingi vetitos decerpere fructus.
436 Ex illo, labor insolitus, terrorque, metusque,
437 invectumque nefas terris : curaeque, dolorque,
438 et foeda ignotam traxerunt crimina mortem.
439 Quam supero natus genitore, in faucibus Orci
440 perculit attonitam, domitoque auctore paventem,
441 fulgidus exuviis spoliisque intravit Olympum.
442 Continuo exorti juvenes, gens edita caelo,
443 gens invicta fide, gens turpis nescia culpae :
444 quos neque poenarum species neque mortis imago
445 terruit ulla : nec immiti superaddita leto
446 saevities, fractique artus, admotaque flamma
447 visceribus vivorum, et inundans sanguine tellus ;
448 ut quondam, Superis, vitaeque adversa parenti.
449 Tantus amor, Ditis domitas perrumpere vires,
450 et, vitae super astra sequi, regemque ducemque,
451 protinus invasit vacuas formidine mentes.
452 Quamquam illum solio formosus continet aether
453 aurato ; tamen, et praesenti numine, terras
454 implentem proprias, caelique e limine pulchros
455 aspirantem animos. Qualis, cum mille per hostes
456 elapsus, dux impavidus, stat in aggere valli
457 victor, et instantes spoliis accendit amicos :
458 illi autem, neque tela vident, neque sanguine duros
459 perfundi spargique humeros, dum vita receptos
460 deserit, inque ipso morientes aggere linquit.

461 Ipsi igitur, caelo intenti, mortalia supra
 462 extulerunt aciem versae ad sublimia mentis,
 463 venturaeque animo lustrabant gaudia vitae,
 464 assidue ; Venerem aversi, licitosque Hymenaeos
 465 saepe etiam, castaeque domus solacia natos.
 466 Pars quippe in solis ducebant montibus aevum,
 467 et nemorum spaciis, aut per deserta viarum
 468 errabant, exosi homines, saevosque tyrannos
 469 vitantes, structosque dolos, rabiemque nocendi ;
 470 tuti inter latebras tantum, et spelaea ferarum.
 471 Pars tumulos inter monumentaque luce carentum,
 472 quos idem addiderat caelo pulcherrimus ardor,
 473 fortem exercebant animum, letoque parabant.
 474 Pars, quamquam populi in medio, turbaque piorum,
 475 instantem veluti versabant pectore mortem
 476 assidue, vitae immemores ; corpusque domabant
 477 terrarum exilio : delictaque maesta luebant
 478 diluvio lacrimarum, actoque ad singula luctu :
 479 infandamque necem pendentis ab arbore Regis
 480 insculpti impressique animos. Sic linquere terras,
 481 et veram soliti moriendo invadere lucem ;
 482 ardentem velut effuso prorumpere cursu,
 483 si quando exigeret saeva inclementia vitam,
 484 aut rerum genitor collapsos solveret artus.
 485 Primus ab excussa gelidi formidine leti,
 486 morte Deo geniti, subito discedere caelum,
 487 saxorum quamquam in medio nil territum imbre,
 488 Isacides vidit juvenis, natumque parenti
 489 jam junctum, dextraque simul de parte micantem.
 490 Ille quidem, primusque tulit certusque, coronam
 491 insignem, fulgentem auro gemmisque coronam,
 492 inscriptusque polo legitur radiantibus astris.
 493 Hunc alii, rursusque alii mox deinde secuti,
 494 flammae instar : quae sponte sua petit aethera magnum,
 495 exorta aut nigro in nemore, aut in culmine montis,
 496 vestiti circum arboribus. Volat illa per auras,
 497 restingui indignata, licet cum fontibus omnis
 498 undique et agricola, et curvus concurrit arator ?
 499 Unde viris vis tanta ? Unde hic in mentibus ardor,
 500 nec blandis vitae illecebris, nec cedere morti ?
 501 Sola Dei praegressa viam certissima proles,
 502 victores animos, caelique afflavit amorem,
 503 immotamque fidem. Qualem neque Tartarus ater
 504 excutit, aut mortis vis importuna minantis.
 505 Ante etenim adventum geniti bis regis, et ante
 506 humanae quam foeda Deus contagia labis
 507 abluit, et misso lustravit pignore terras,
 508 haud frustra aeternam spondebant omnia mortem.
 509 Nec quicquam ante oculos, leti nisi tristis imago,
 510 astabat, maestoque Acheron horrore premebat,
 511 desertas Superis animas neglectaque corda.
 512 Quorum atrox, immensum, atque insuperabile pondus,
 513 missa Dei soboles, fessa cervice gementum
 514 abstulit, et trunco moriens suspendit ab alto.
 515 Haud secus, ac si quis connixum corpore toto,
 516 curvatumque artus Atlanta, humerisque tenentem,

517 ingentes astrorum orbis, onus exuat ultro,
 518 et cum sideribus totum subducat Olympum.
 519 Quin etiam, nostra penitus sub lege teneri,
 520 mortalesque haurire auras dignatus, ut omne
 521 depressum tenebris, pridemque in Tartara missum,
 522 erueret leto genus, et pallentibus umbris,
 523 morte sua, gentemque aliam, nova pignora, tellus
 524 tolleret, immemorem scelerum, letique pavorum.
 525 Heu amor ! Heu invicta fides ! Jacet altus Olympi
 526 rector humi, nostroque ultro se corpore cingit,
 527 et tantum haud ullam patitur de corpore sordem.
 528 Quin etiam, caelo ignarus terraque teneri,
 529 dilectae sedet in gremio genitricis, et ore,
 530 quo nubes, pelagique iras, ventique remittit,
 531 oscula materno partitur dulcia collo,
 532 virgineisque genis. Illi pudor, aemulus igni
 533 Eoo, vultumque horror demittit honestum,
 534 et tacitus stupor, et magni reverentia caeli.
 535 Nam quis te, puerorum o formosissime, nostras
 536 speret adire domos, moribundaque sumere membra,
 537 et vitam hanc leti sub condicione, pacisci ?
 538 Nate Deo, quis tantus amor, quae tanta lubido,
 539 humanum servare genus : ut inhospita terrae
 540 et nostro indignam nasci de sanguine gentem
 541 respiceres, antrique ignota in parte jaceres ?
 542 Tene ah sustinuisse decem fastidia mensum
 543 inclusum materno utero ? Ten' sanguine multo
 544 turpatum, tristesque genas, caelestiaque ora,
 545 excelsum statuisse atra de morte tropaeum ?
 546 Jamque tibi pecudum vigiles ante omnia cingunt
 547 pastores, tuguri exiguum, et penetrabile culmen
 548 immiti Boreae, matutinaeque pruinae,
 549 parvaeque dona ferunt, cernuntque in limine primo
 550 insolitos caeli thalamos, et virginis aureae.
 551 Atque utinam vestri, o pueri, pars magna laboris,
 552 servassem pecudes, pecudes in finibus iisdem
 553 servassem : Lycidasque aliquis, vel pauper Amyntas,
 554 insomnes illo duxissem tempore noctes.
 555 Victori certe umbrarum letique futuro,
 556 duxissem viridem circum incunabula laurum :
 557 quamvis tristis hiems gremio constringeret omnes
 558 arboreos fetus, florem neque panderet ullum,
 559 nec spes aut Hyacinthe tui foret, aut Amaranthe.
 560 At de suberibus prompsissem dulcia mella,
 561 aut pressum lac de calathis, quae copia ruris ;
 562 aut in composito certe, quae prima voluptas
 563 pastorum pueris, cecinissem carmine laudes
 564 virgineasque tuasque : nec hinc aut pulcher Alexis,
 565 aut partem Galatea sibi subduceret ullam.
 566 At non sidera vasta, Deum nescire fatentur,
 567 angusta quamvis sub paupertate jacentem.
 568 Nec tantum potuere, humili de cespite culmen
 569 congestum (quale incultus festinat arator,
 570 horrida cum saevae circumstant frigora brumae,
 571 indutique humiles abjecti corporis artus)
 572 omnipotens quantum mens, et sublimis imago

573 aetherii genitoris, et indescripta potestas :
574 quantum, quae terrasque omnes, pontumque profundum,
575 et caeli liquidos majestas sustinet orbes.
576 Jamque domo procul exciti, dictantibus astris,
577 adveniunt longe Nabathaeo e litore vates.
578 Nec minus aetherii juvenes, circum undique culmen
579 exiguum, choreasque agitant plaudentibus alis,
580 et totus rerum artificii descendit Olympus.
581 Nam quamquam neque Tarpeias bellator ad arces
582 ibis ovans, procul Augusto comitante Senatu ;
583 murali neque tormento Mavortia rumpes
584 moenia, nec clusas perrumpes ariete portas :
585 at raucum tonitru, quo fractus dissilit orbis
586 terrarum pontusque ; tuum est. Tu ardentibus astris
587 transfixum, multo percurris fulmine mundum.
588 At Boreas tibi servit, at igni armatus et auro
589 Orion ; at Pleiades, septemque triones,
590 nocte atra, sedesque tuas et limina servant.
591 At vero, quacumque pedum vestigia figes,
592 ad tua percussi cessabunt nomina morbi,
593 et caeco Pluton animas dimittet Averno.
594 At te, terribilis leti Ditisque potentem,
595 aérias equitantem auras, nubesque secantem,
596 circum acies fusa aligerum, atque exercitus omnis
597 caelorum, qui nascenti se junxerat ante,
598 aeterna evectum Capitolii, in sede locabit :
599 excipietque iterum venientem, et nube serena
600 fulgentem, nostrosque humeros, nostrosque lacertos.
601 Tum, simul horrisono fremitu, tua buccina Gangen
602 percurret gelidamque Helicen, mors tota remittet
603 pallentes populos, et dulci luce carentes.
604 Salve auctor, salve omnipotens, qui sanguine nobis
605 effuso patriam peperisti, et munera vitae.
606 Salve ingens leti domitor, quem corpore toto,
607 tertia lux nigris venientem excepit ab umbris.
608 Continuo fractam senserunt omnia mortem,
609 jamque triumphatum penitus penitusque subactum
610 audacem colubrum, morti qui vincula primus
611 laxavit, totumque Erebo dimisit in orbem.
612 Hinc, leti immemores, venturo incumbimus aevo,
613 et vitae egressi tenebris, donamur Olympo.